DE SOTERIOLOGIAE CHRISTIANAE PRIMIS FONTIBUS

UNIVERSITAS CATHOLICA LOVANIENSIS

DISSERTATIONES

AD GRADUM DOCTORIS IN FACULTATE THEOLOGICA CONSEQUENDUM CONSCRIPTAE

SERIES II, TOMUS PRIOR

DE

SOTERIOLOGIAE CHRISTIANAE

PRIMIS FONTIBUS

EXAMEN HISTORICO-THEOLOGICUM

QUOD INSTITUIT

CAMILLUS VAN CROMBRUGGHE

SACRAE THEOLOGIAE LICENTIATUS

LOVANII

EXCUDEBAT JOSEPHUS VAN LINTHOUT

UNIVERSITATIS CATHOLICAE TYPOGRAPHUS

1905

ILLUSTRISSIMO · REVERENDISSIMO

DOMINO · DOMINO

ANTONIO · STILLEMANS

EPISCOPO · GANDAVENSI

SS. · D. · N. · PRAELATO · DOMESTICO

PONTIFICIO · SOLIO · ASSISTENTI

SACRAE · THEOLOGIAE · PHIL. · ET · LITT. · DOCTORI

COMITI · ROMANO

ORDINIS · LEOPOLDINI · BELGII · COMMEND.

REGII · ORDINIS · LEONIS · DECURIONI

PRAESULI

SCIENTIA · PIETATE · FORTITUDINE · SPECTATISSIMO

CLERI · POPULIQUE · PATRI · AMANTISSIMO

IN · PERENNE · GRATI · ANIMI

AC · FILIALIS · AMORIS · TESTIMONIUM

ILLUSTRISSIMO · DOCTISSIMO · DOMINO

ADOLPHO · HEBBELYNCK

PROTON. · APOST. · AD · INSTAR · PARTICIP.

ECCL. · CATHEDR. · GANDAVENSIS · CANONICO · HONORARIO

SACRÆ · THEOLOGIÆ · DOCTORI

ORDINIS · LEOPOLDINI · BELGII · DECURIONI

LEG. · HON. · DECUR.

SOC. · ASIAT. · PARIS. · SOCIO

UNIVERSITATIS · CATHOLICÆ · RECTORI · MAGNIFICO

&

VIRO · EXIMIO · DOCTISSIMO

MAURITIO · DE BAETS

ECCL. · CATH. · GANDAV. · CANONICO · HONORARIO

PHILOSOPHIAE · ET · SACRAE · THEOLOGIAE · DOCTORI

THEOL. · DOGMAT. · SPEC. · ANTECESS. · PERITISS.

SUORUM · STUDIORUM · MODERATORI

HANC · SUAM · LUCUBRATIONEM · DEVOTISSIMO · ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

PROLOGUS.

Doctrina soteriologica, quae cardinale religionis christianae dogma constituit, saeculorum decursu gravissimas impugnationes subiit : Gnostici, Pelagiani, Sociniani et qui horum vestigia sequuntur recentioris aetatis rationalistae, rati christianum aedificium doctrinale integrum cum excussis soteriologicae doctrinae fundamentis, ruinam facturum esse, expiatorium mortis Christi valorem impugnare haud cessarunt. Illud tamen discrimen in successivis ipsorum impugnationibus deprehenditur, quod quum victoriae spem in momentis philosophicis olim collocarent, nunc a critica historica et biblica victricia arma jam expostulent.

Legentibus nobis opera, quibus juridicae soteriologiae ab ipso Christo amovere student, enata est suasio, efficacem dogmatis christiani defensionem aut scientificum originis doctrinae soteriologicae examen, etiam ubi de fontibus canonicis agitur, criticae historicae methodo inniti debere : in hujus quippe principiis possunt fideles cum infidelibus convenire. Idcirco, electam a nobis quaestionem, quae circa *soteriologiae christinianae primos fontes* versatur, quaeque eminenter theologica est, adhibitis tantum criticae instrumentis et adminiculis, solvere sategimus.

Quibus praelibatis, manet ut summae gratitudinis debitum persolvamus magistris peritissimis qui disciplinas theologicas, methodum historicam, hujusque ad Veteris et Novi Testamenti libros applicationem nos docuerunt; inter illos nomen speciatim inscribere lubet Eximii Domini De Baets, qui instituentibus nobis hoc examen theologico-criticum, consiliis suis et monitis numquam non benignissime astitit.

C. Van Crombrugghe.

INDEX RERUM.

INDEX BIBLIOGRAPHICUS.

AUCTORES CITATI.

ANDERSEN A. *Das Abendmahl in den zwei ersten Jahrhunderten nach Christus.* Giessen, 1904.

BABUT H. *La pensée de Jésus sur sa mort d'après les Evangiles synoptiques.* Alençon, 1897.

BAETHGEN F. *Die Psalmen übersetzt und erklärt.* Göttingen, 1904^3.

BALDENSPERGER W. *Das Selbstbewusstsein Jesu in Lichte der messianischen Hoffnungen seiner Zeit.* Strassburg, 1888.

BARTH F. *Die Hauptprobleme des Lebens Jesu.* Gütersloh, 1903^2.

BATIFFOL P. *Etudes d'histoire et de théologie positive.* Paris, 1904$_3$.

— *L'Eucharistie dans le Nouveau Testament d'après des critiques récents, Revue biblique internationale,* XII (1903), pp. 497-528.

— *L'Eucharistie dans le Nouveau Testament, Bulletin de littérature ecclésiastique,* 1903.

— *L'Eucharistie dans la Didaché, Revue biblique internationale.* Nouv. sér. II (1905), p. 58 sq.

BAUR CHR. *Vorlesungen über die neutestamentliche Theologie herausgegeben von F. G. Baur.* 1864.

BELSER J. *Die Geschichte des Leidens und Sterbens, der Auferstehung und Himmelfahrt des Hernn.* Freiburg im Breisgau, 1903.

BERNING W. *Die Einsetzung der heiligen Eucharistie in ihrer ursprünglichen Form nach der Berichten des Neuen Testamentes kritisch untersucht.* Münster, 1901.

BEYSCHLAG. *Neutestamentliche Theologie.* 2 Bde. Halle, 1891.

BLASS F. *Evangelium secundum Lucam sive Lucae ad Theophilum liber prior.* Lipsiae, 1897.

BOUSSET W. *Die Religion des Judentums im neutestamentlicher Zeitalter.* Berlin, 1903.

BRANDT W. *Die evangelische Geschichte und der Ursprung des Christentums auf Grund einer Kritik der Berichte über das Leiden und die Auferstehung Jesu.* Leipzig, 1893.

BOVON J. *Théologie du Nouveau Testament.* I. *La vie et l'enseignement de Jésus.* Lausanne, 1902^2.

BUDDE K. *Die sogenannten Ebed-Jahwe-Lieder und die Bedeutung des Knechtes Jahwes in Jes. 40-55*. Giessen, 1900.

BUGGE CHR. *Die Haupt-Parabeln Jesu, mit einer Einleitung über die Methode der Parabel-Auslegung*. Giessen, 1903.

CALMES TH. *L'Evangile selon saint Jean, traduction critique, introduction et commentaire (Etudes bibliques)*. Paris et Rome, 1904.

CHEYNE T. K. *The prophecies of Isaiah*, 2 vol. London, 1889.

CLEMEN C. *Der Ursprung des heiligen Abendmahls, Christliche Welt*, ht. 37. Leipzig, 1898.

CONDAMIN A. *Le livre d'Isaie, traduction critique avec notes et commentaires (Etudes bibliques)*. Paris. 1905.

COPPIETERS H. *De historia textus Actorum Apostolorum*, Lovanii, 1902.

CREMER E. *Die stellvertredende Bedeutung der Person Jesu-Christi*. Gütersloh, 1903².

CREMER H. *Das Wesen des Christentums*. Gütersloh, 1902₃.

DAVIES D. *The Atonement and Intercession of Christ*. Edinburgh, 1901.

DALMAN. *Die Worte Jesu*, 2 Bde. Leipzig, 1898.

— *Der leidende und der sterbende Messias der Synagoge im 1 nachchristlichen Jahrtausend, Institutum judaïcum* in Berlin, 1888, ht. 4.

DE BAETS M. *De libera Christi obedientia*. Lovanii, 1905.

DE VISME J. *Quelques traits du Jésus de l'histoire*. Montauban, 1899.

DILLMANN A. *Der Prophet Jesaia, Kurzgefasstes exegetisches Handbuch zum Alten Testament*. Leipzig, 1890.

DREWS P. *Untersuchungen zur Didache, Zeitschrift für die neutestamentliche Wissenschaft*, V (1904), p.

DUHM B. *Das Buch Jesaia übersetzt und erklärt*. Göttingen, 1902.

EICHORN A. *Das Abendmahl im Neuen Testament, Christliche Welt*, ht. 36. Leipzig, 1898.

FEINE P. *Jesus-Christus und Paulus*. Leipzig, 1902.

FUELLKRUG G. *Der Gottesknecht des Deuterojesaja. Eine kritisch-exegetische und biblisch-theologische Studie*. Göttingen, 1899.

FUNK F. X. *Kirchengeschichtliche Abhandlungen*, 2 vol. Paderborn, 1897.

GARDNER P. *The origin of the Lord's Supper*. London, 1893.

GRAEFE F. *Der Codex D und das Lucasevangelium, Theologische Studien und Kritiken*. 1898, pp. 116 sq.

GRAFE E. *Die neuesten Forschungen über die urchristliche Abendmahlsfeier, Zeitschrift für Theologie und Kirche*, V (1895), pp. 101 sq.

GRASS K. *Das Verhalten zu Jesus nach den Forderungen der Herrenworte bei den Synoptikern*. Leipzig, 1895.

GUNKEL H. *Zum religionsgeschichtlichen Verständnis des Neuen Testaments*. Göttingen, 1903.

HARNACK A. *Lehrbuch der Dogmengeschichte*, vol. I. Freiburg, 1894³.

— *Die Chronologie der altchristliche Litteratur bis Eusebius*. Leipzig, 1897.

— *Das Wesen des Christentums.* Leipzig, 1900.

— *Probleme im Texte der Leidensgeschichte Jesu, Sitzungsberichte der Akademie der Wissenschaften zu Berlin,* 1901, XI, pp. 261 sq.

HAUPT E. *Ueber die ursprüngliche Form und Bedeutung der Abendmahlsworte.* Halle, 1894.

HEHN J. *Die Einsetzung der hl. Eucharistie als Beweis für die Gottheit Christi.* Würzburg, 1900.

HEITMÜLLER W. *Taufe und Abendmahl bei Paulus. Darstellung und religionsgeschichtliche Beleuchtung.* Göttingen, 1903.

HOFFMANN J. *Das Abendmahl im Urchristentum. Eine exegetische und historisch-kritische Untersuchung.* Berlin, 1903.

HOFFMANN R. A. *Die Abendmahlsgedanken Jesu-Christi. Ein biblisch theologischer Versuch.* Königsberg, 1896.

— *Das Marcusevangelium und seine Quellen.* Königsberg, 1904.

HOLLMANN G. *Die Bedeutung des Todes Jesu nach seinen eigenen Aussagen auf Grund der synoptischen Evangelien.* Tübingen und Leipzig, 1901.

HOLSTEN. *Die synoptische Evangelien nach der Form ihres Inhaltes.* Heidelberg, 1885.

— *Die Bedeutung der Ausdrucksform* ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου, *Zeitschrift für wissenschaftliche Theologie.* 1891, pp. 46 sq.

HOLTZHEUER J. *Das Abendmahl und die neuere Kritik.* Berlin, 1896.

HOLTZMANN H. J. *Lehrbuch der neutestamentliche Theologie,* 2 vol. Tübingen und Leipzig, 1897.

— *Sacramentliches im Neuen Testament, Archiv für Religionswissenschaft,* VII (1904), ht. 2, pp. 58 sq.

— *Die Synoptiker (Handkommentar zum Neuen Testament).* Tübingen und Leipzig, 1901[2].

HOLTZMANN O. *Das Abendmahl im Urchristentum, Zeitschrift für neutestamentliche Wissenschaft.* V (1904), p. 100 sq.

JACQUIER E. *Histoire des livres du Nouveau Testament,* vol. 2. Paris, 1903 et 1905.

— *La doctrine des douze apôtres et ses enseignements.* Lyon et Paris, 1891.

JUELICHER A. *Zur Geschichte der Abendmahlsfeier der ältesten Kirche, Theologische Abhandlungen Weizsächer gewidmet.* Freiburg, 1892.

— *Einleitung in das Neue Testament (Grundiss der theologischen Wissenschaften).* Tübingen und Leipzig, 1901[4].

— *Die Gleichnisreden Jesu,* 2 vol. Freiburg, 1899 et 1900.

KAEHLER M. *Dogmatische Zeitfragen,* ht. 2. *Zur Lehre der Versöhnung.* Leipzig, 1898.

KATTENBUSCH F. *Messe, Realenencyclopädie für protestantische Theologie und Kirche,* XII, p. 671 sq. Leipzig, 1903.

KEIL. *Handbuch der biblischen Archäologie.* Leipzig, 1858.

Kittel R. *Zur Theologie des Alten Testamente zwei akademische Vorlesungen.* Leipzig, 1899.

Klostermann A. *Deuterojesaia hebräisch und deutsch mit Anmerkungen (Sammlung hebräisch-deutscher Bibeltexte* ht. 1). München, 1893.

Kosters W. *Deutero- en Trito- Jezaja, Theologisch Tydschrift,* XIII (1896), p. 577-623.

Krop F. *La pensée de Jésus sur le royaume de Dieu d'après les évangiles synoptiques avec un appendice sur la question du « Fils de l'homme ».* Paris, 1897.

Kuenen A. *Historisch-critisch onderzoek naar het ontstaan en de verzameling van de boeken des Ouden Verbonds,* 3 deelen. Leiden, 1887², 1889², 1893₂.

Kuehl. *Die Heilsbedeutung des Todes Jesu.* 1890.

Ladeuze P. *L'Eucharistie et les repas des fidèles dans la Didache, Revue de l'Orient chrétien,* p. 339 sq. Paris, 1902.

— *Pas d'agape dans la première épître aux Corinthiens, Revue biblique internationale,* nouv. sér., t. I (1904), p. 78 sq.

Lagrange M. J. *Etudes sur les religions sémitiques (Etudes bibliques).* Paris, 1905².

— *Notes sur le Messianisme dans les Psaumes, Revue biblique internationale,* nouv. sér., t. II (1905), pp. 39 sq., 188 sq.

Laue L. *Die Ebed-Jahwe-Lieder im II. Teil des Jesaia untersucht.* Wittenberg, 1898.

Lepin M. *Jésus Messie et Fils de Dieu d'après les évangiles synoptiques.* Paris, 1904.

Ley J. *Historische Erklärung des zweiten Teils des Jesaia nach den Ergebnissen aus den babylonischen Keilinschriften, nebst einer Abhandlung über die Bedeutung des « Knecht Gottes ».* Marburg, 1893.

Lobstein P. *La doctrine de la sainte cène.* Lausanne, 1889.

Loisy A. *Histoire du canon du Nouveau Testament.* Paris, 1891.

— *L'Evangile et l'Eglise.* Paris, 1902, 1904³.

— *Etudes évangéliques.* Paris, 1902.

— *Autour d'un petit livre.* Paris, 1903.

— *Le quatrième Evangile.* Paris, 1903.

— *Le discours sur la montagne.* Paris, 1903.

Pfleiderer O. *Jesus foreknowledge of his death, The New World,* Sept. 1899.

— *Das Urchristentum, seine Schriften und Lehren in geschichtlichen Zusammenhang beschrieben,* 2 Bde. Berlin, 1902².

— *Das Christusbild in religionsgeschichtliche Beleuchtung.* Berlin, 1903.

Renz F. *Opfercharakter der Eucharistie nach der Lehre der Väter und Kirchenschriftsteller der ersten drei Jahrhunderte.* Paderborn, 1892,

— *Die Geschichte des Messopferbegriffs,* 2 Bde. Münich, 1901 et 1902.

RESCH A. *Aussercanonische Paralleltexte zu den Evangelien*, 3 Bde, *Texte und Untersuchungen zur Geschichte der altchristlichen Litteratur, herausgegeben von O. von Gebhardt und A. Harnack*, Bd. X. Leipzig, 1894, 1895 et 1896.
\— *Die Logia Jesu*. Leipzig, 1898.
— *Der Paulinismus und die Logia Jesu in ihrem gegenseitigen Verhältnis untersucht, Texte und Unters. Neue Folge*, Bd. XII. Leipzig. 1905.
RÉVILLE A. *Jésus de Nazareth*, 2 vol. Paris, 1897.
RÉVILLOUT E. *L'évangile des XII apôtres récemment découvert, Revue biblique internationale*. Nouv. série, t. I (1904), pp. 167 sq. 321 sq.
RITSCHL A. *Die christliche Lehre von der Rechtfertigung und Versöhnung*, vol. I, 1889[3].
ROSE V. *Etudes sur les Evangiles*. Paris, 1902.
RUNZE. *Erläuternde Bemerkungen zu Marc. X, 45, Zeitschrift für wissenschaftliche Theologie*, 1889, pp. 148 sq.
SABATIER A. *L'auteur du livre des Actes des Apôtres a-t-il connu et utilisé dans son récit les épîtres de saint Paul? Bibliothèque de l'Ecole des Hautes Etudes*, I. Paris, 1889.
— *La doctrine de l'expiation et son évolution historique*. Paris, 1903.
SCHAEFER R. *Das Herrenmahl nach Ursprung und Bedeutung mit Rücksicht auf die neuesten Forschungen untersucht*. Gütersloh, 1897.
SCHEIWILER A. *Die Elemente der Eucharistie, Forschungen zur christlichen Litteratur — und Dogmengeschichte, herausgegeben von A. Ehrard und J. P. Kirsch*, Bd. III, ht. 4. Mainz, 1903.
SCHMIEDEL P. *Die neuesten Ansichten über den Ursprung des Abendmahls, Protestantische Monatshefte*, 1899, pp. 125 sq.
SCHULTZEN F. *Das Abendmahl im Neuen Testament*. Göttingen, 1895.
SCHÜRER E. *Geschichte des judischen Volkes im Zeitalter Jesu-Christi*, Bd. I und II. Leipzig, 1898[3].
SCHWARTZKOPFF. *Die Weissagungen Jesu-Christi von seinem Tode, seiner Auferstehung und Wiederkunft*. Göttingen, 1895.
SCHWEITZER A. *Das Abendmahl im Zusammenhang mit dem Leben Jesu und der Geschichte des Urchristentums*, I, *Das Abendmahlsproblem auf Grund der wissenschaftliche Forschung des 19. Jahrhunderts und der historischen Berichte*. II, *Das Messianitäts und Leidensgeheimnis*. Tübingen und Leipzig, 1901.
SEEBERG A. *Der Tod Jesu in seiner Bedeutung für die Erlösung*. Leipzig, 1895.
SELLIN E. *Serubbabel. Eine Beitrag zur Geschichte der messianischen Erwartung und der Entstehung des Judentums*. Leipzig, 1898.
SPITTA F. *Zur Geschichte und Litteratur des Urchristentums*, I, Göttingen, 1893.
STADE B. *Biblische Theologie des Alten Testaments*. I *Die Religion*

Israels und die Entstehung des Judentums; Grundriss der theologischen Wissenschaften. Tübingen, 1905.

Stalker. *Die Christologie Jesu.* Dessau, 1902.

Stevens J. B. *The teaching of Jesus.* New-York, 1902.

Titius A. *Die neutestamentliche Lehre von der Seligkeit und ihre Bedeutung für die Gegenwart.* I *Die Lehre Jesu vom Reiche Gottes.* Freiburg, 1895.

Van Hoonacker A. *Nouvelles études sur la restauration juive après l'exil de Babylone.* Paris et Louvain, 1896.

— *La prophétie relative à la naissance d'Immanu-El, Revue biblique internationale,* nouv. sér., t. I (1904), p. 213 sq.

Viteau J. *L'évangile de l'Eucharistie, Revue du clergé français,* t. XXXIX (1904), p. 1 sq.

Von der Goltz E. *Das Gebet in der ältesten Christenheit.* Leipzig, 1901.

Weiss B. *Lehrbuch der Biblischen Theologie des Neuen Testaments.* Stuttgart und Berlin, 1903[7].

— *Textkritik der vier Evangelien, Texte und Unters.* Neue Folge, Bd. IV ht. 2. Leipzig, 1899.

Weiss J. *Die Predigt Jesu vom Reiche Gottes.* Göttingen, 1900[2].

— *Das älteste Evangelium.* Göttingen, 1903.

Weizsaecker C. *Das apostolische Zeitalter der christlichen Kirche.* Freiburg, 1892[2].

— *Untersuchungen über die evangelische Geschichte, ihre Quellen und den Gang ihrer Entwickelung.* Tübingen und Leipzig, 1901[2].

Wellhausen J. *Israelitische und jüdische Geschichte.* Berlin, 1894.

— *Skizzen und Vorarbeiten.* Berlin, 1899.

Wendt H. *Die Lehre Jesu.* Göttingen, 1890.

Wernle P. *Die Anfänge unserer Religion.* Tübingen und Leipzig, 1901.

— *Die synoptische Frage.* Tübingen, 1899.

Wrede W. *Das Messiasgeheimnis in den Evangelien. Zugleich ein Beitrag zum Verständnis des Markusevangeliums.* Göttingen, 1901.

— Τὸ αἷμά μου τῆς διαθήνης, *Zeitschrift für neutestamentliche Wissenschaft.* I (1900), pp. 69 sq.

Zahn Th. *Die Dormitio Sanctae Virginis und das Haus des Johannes Markus.* Leipzig, 1899.

— *Einleitung in das Neue Testament,* 2 Bd. Leipzig, 1900[2].

— *Das Evangelium des Matthäus ausgelegt (Kommentar zum Neuen Testament).* Leipzig, 1903.

— *Brot und Wein im Abendmahl der alten Kirche.* Leipzig, 1892.

Zimmermann H. *Der historische Wert der ältesten Ueberlieferung von der Geschichte Jesu im Markusevangelium.* Leipzig, 1905.

STATUS QUAESTIONIS.

Soteriologiae christianae primorum fontium determinatio pluribus difficultatibus ex parte documentorum, quibus inniti debet, implicata apparet. Etenim evangelia nostra canonica, quae primarium doctrinae Christi fontem constituunt, libri sunt aedificationis, eumdem, quem praedicantes apostoli prosequebantur finem, id est fidei christianae conservationem et propagationem intendentes; idcirco, tamquam documenta stricte historica, quae unice rerum gestarum accuratam memoriam conservare et fidelem descriptionem curare intendant, ab exegetis non considerantur. Horum judicio, e contra, qui christianismi originem traditamque a Christo doctrinam scientifica methodo determinare aggreditur, omni possibili acribeia distinguat oportet primitivam a Christo propositam doctrinam ab iis quibus sive a communitate primitiva, sive a Paulo traditus a Magistro thesaurus theologicus explicatus atque ampliatus est. Quod quidem criticae biblicae principium, in quaestione quae circa soteriologiae christianae primos fontes versatur, perspicuum reddere juvat.

Neminem certe latet Paulum, gentium doctorem, soteriologiam seu expiatorium mortis Jesu valorem, capitale sui evangelii dogma constituisse, illudque dogma fuisse universalitatis novae religionis quasi postulatum aut conditionem praeviam : ideo praecise poterant et gentes non judaeae, juxta apostolum, in haereditatis spiritualis participationem assumi, quia Domini sacrificio universalis et quasi cosmicus valor competebat. Gentium apostoli evangelicus labor felicem successum obtinuit, quumque ex Judaeis plures obcaecarentur, viginti circiter annorum spatio, mundus paganus integer communitatibus ethnico-

christianis coopertus est. Hinc religionis universalismus, Christi morti innixus, nonobstantibus Judaïzantium conatibus, non triumphare non potuit, et revera, post annum 70 tendentiae antipaulinae vestigia apud christianos vix occurrunt. Nunc autem circa illud tempus exarata videntur tria evangelia synoptica : de quibus, quum ut fidei et prædicationis fontes et aedificationis documenta se exhibere videantur, inquiritur utrum in illis quae cum doctrina soteriologica cohaerent locis, non potius Pauli vel primitivae communitatis quam ipsius Christi mentem exprimant.

Tubingianae scholae, quae christianismi originem ex luctis, quae petrinismum inter et paulinismum viguerint, derivare sategit, influxus apud plures recentiores exegetas in hoc manifestatur quod soteriologiae primum praeconem non ipsum Jesum sed Paulum proclament : cujus sententiae antesignani sunt in Germania O. Pfleiderer et H. Holtzmann, in Gallia, A. Loisy. Quidam tamen auctores, praeeunte A. Harnack, innixi, ut ipsi testantur, testimonio ipsius apostoli asserentis I Cor. XV se soteriologicae mortis Domini virtutis cognitionem a traditione, id est a primitiva communitate accepisse, et simul rati illam doctrinam quam ut christianismi essentiam considerant, non cohaerere cum soteriologia, hujus primam originem primitivae communitati adscribendam esse propugnant.

Nunc autem, dempto quarto evangelio — cujus auctoritatem historicam critici, ut plurimum, impugnant — tria argumenta praecipua soteriologicam doctrinam ipsi Christo adscribendam esse, conficere videntur : primum constituunt plura loca, in quibus Jesus cum « ebed-Jahveh », quem Isaias pro populo passurum et expiaturum esse vaticinatus fuerat, se identificat; secundum suppeditat Christi logium, Marc. X, 45 = Matth. XX, 28 relatum; tertium tandem institutionis eucharisticae verbis instruitur. Quorum testimoniorum vim infracturi, utriusque assignatae sententiae asseclae ad interpretationis sive authenticitatis criticam se conferunt. Quod quo jure faciant examinaturi, in priori capite, generale munus redemptivum, quod Christus sibi assumpsit assequi, in posteriori, proprium valorem quem morti suae vindicavit ex locis specialibus determinare satagemus.

CAPUT I.

MUNERIS CHRISTI SOTERIOLOGICI GENERALIOR DETERMINATIO

Ut connexionem Novum inter et Vetus Testamentum nostra in materia vigentem in lucem ponamus, et simul generalis muneris soteriologici, quod Christi obeundum assumpsit, intellectionem praeparemus, scientificas conclusiones quae circa vulgatas apud Judaeos a prophetis et, post ipsos, tempore neotestamentario sententias, ex recentioribus controversiis fluere videntur, brevissimo compendio contrahemus.

ARTICULUS I.

DE CONCEPTIBUS APUD JUDAEOS CIRCA MESSIAE PASSIONEM VULGATIS.

§ 1. — *De prophetica figura « Ebed-Jahveh » a Deutero-Isaia descripta.*

In illa sermonum et cantuum collectione, quae alteram libri Isaiae partem constituit, cap. XL sq., et Deutero-Isaiae adscribi solita est (1), quaeque instantem populi Israelis ex captivitate

(1) Cfr B. DUHM, *Das Buch Jesaja (Handkommentar zum Alten Testament)*, p. 1 sq., Göttingen, 1902. — Utrum praeter Deutero-Isaiam agnoscendus sit Trito-Isaias nostrae inquisitioni eo vel magis impertinens est, quod illi cantus et descriptiones, quae KOSTERS, *Deutero- en Trito-Jezaga, Theologisch Tydschrift,* XIII (1896), p. 577 sq. et B. STADE, *Biblische Theologische des Alten Testaments,* I, p. 337 sq. Tübingen, 1905, speciales circa ebed-Jahveh indicationes non contineant.

liberationem et cultus restitutionem, juxta benignam Dei misericordiam per Cyrum procurandas nuntiat, speciali modo celebratur figura *servi Jahveh* עבד יהוה, cujus interpretatio controversiam magnam inter exegetas suscitavit (1). Quae, quum circa investigandam soteriologiae christianae originem primarie versetur, brevissimam illius, quam solam possibilem reputamus, interpretationis expositionem et justificationem breviter conficere conduximus.

Mediis in praedictionibus, populi afflicti restaurationem praedicentibus, quaedam occurrunt poemata ab hodierno suo contextu bene distincta : exhibent enim servum Jahveh sub figura personae singularis, quae per suam activitatem doctrinalem et imprimis per expiatorium mortis suae valorem, universalem in oeconomia religiosa locum sortitur. Inter haec poemata numerare est c. LII, 13 — LIII, 12; XLII, $1\text{-}\left\{{4 \atop 7}\right.$; XLIX, 1-6, necnon judicio solidis argumentis innixo G. Füllkrug (2), L, 4-9.

Pluribus exegetis visum est dicta poemata, hunc quem num tenent locum primitus non occupasse, sed vel separatim constitisse et postea in Deutero-Isaia inserta esse, vel saltem contextui, ipsis magis aptato, colligata fuisse. Recentissime A. Condamin (3) huic sententiae addens theoriam circa strophicam poeticarum descriptionum structuram, a Zenner (4) statutam, ad hanc devenit conclusionem, cantus, qui proprie ebed-Jahveh respiciunt, duo constituere poemata : prius complecteretur c. XLIX, 1-7 + XLII, 1-9 + XLIX, 8 sq. + L + LI, 1-16; alterum, c. LII, 13 — LIII, 12. Quam quidem sententiam et nos tamquam solide probabilem consideramus, dummodo tamen XLII, 1-9 immediate ante XLIX, 1 sq. legatur. Porro, in dictis cantibus describitur persona, quam Jahveh inde a nativitate speciali prosequitur protectione, quam spiritu suo inungit; quae insulas id est gentes paganas veram religionem docebit; quae

(1) Bibliographiam reperies apud A. Condamin, *Le livre d'Isaie, traduction critique avec notes et commentaires (Etudes bibliques)*, p. 325 sq., Paris, 1905.

(2) *Der Gottesknecht des Deutero-Jesaja*, p. 34 sq., Göttingen, 1899.

(3) *O. c.*, p. 236, 296 sq.

(4) *Die Chorgesänge im Buche der Psalmen*, 1896.

passionibus et doloribus omnimodis affligetur, quia multorum peccata in se suscipiet expianda, cujusque sepulcrum gloriosum erit (1).

* * *

Qui Deutero-Isaiae cantus cum historia evangelica contulerit, miram sortis quae ebed-Jahveh adventura praedicitur et in Christo perfecta describitur similitudinem, non deprehendere non potest. Revera per septemdecim priora aerae christianae saecula, praeter Seydel et Grotium, omnes ad unum exegetae « ebed-Jahveh-cantus » de persona fatisque Jesu Nazareni sensu litterali audienda esse propugnarunt. Quae vero saeculo XVIII hac de re dubia exorta sunt, paulatim incrementa sumpserunt adeo ut per quindecim annos proxime elapsos critici magni etiam nominis ab interpretatione traditionali recedendum esse censuerint.

In praesenti controversiae stadio, tres interpretationes praecipuae exegetarum suffragia obtinent : prima sub prophetica figura populum Israel vel partem ejusdem agnoscit; secunda personam singularem a Messia distinctam puta Jeremiam, Zorobabel, Jechoniam aut insignem virum ignotum, qui captivitatis tempore illustrem sibi famam sortitus sit, praesignari autumat; tertia tandem ipsum Messiam a propheta indubie prae oculis haberi, tuetur.

I. Qui historicam nationem judaicam cum servo Jahveh identificant ut Stade (2), Budde (3), Marti (4), Giesebrecht (5), sequentibus argumentis se muniunt. 1° Demptis capitibus LVI-LXVI — quae Trito-Isaiae id est auctori tempore Esdrae scribenti probabilius sunt adscribenda —, Deutero-Isaiae cantus (XL-LV),

(1) Cfr Fr. Lagrange, *Revue biblique internationale,* nouv. sér., t. II (1905), p. 281.

(2) *Biblische Theologie des Alten Testaments,* I, p. 306 sq., Tübingen, 1905.

(3) *Die sogenannten Ebed-Jahwelieder und die Bedeutung des Knechtes Jahwes in Jes. 40-55. Ein Minoritätsvotum.* Giessen, 1900.

(4) *Das Buch Jesaja (Kurzer Hand-Commentar zum Alten Testament),* Tübingen, 1900.

(5) *Der Knecht Jahwes des Deuterojesaja,* Königsberg, 1902.

cujuscumque tandem originis sint, unum quoddam poema vel unum plurium poematum organice ad invicem cohaerentium complexum constituunt : hinc, unam esse et eamdem in variis locis adhibiti tituli « ebed-Jahveh » significationem a priori verisimillimum est. Jamvero in pluribus locis et signanter XLI, 8; XLII, 19-22; XLIII, 10; XLIV, 1, 2, 21; XLV, 4; XLVIII, 20; XLIX, 3 explicitis verbis Israel dicitur servus Jahveh. Ex contexta itaque oratione probabilissima conjectura suadetur ipsum populum Israel sub mysteriosa figura agnoscendum esse. 2° Si quis tamen miretur attributa altioris ordinis Israeli tribui, sedulo advertat oportet, cum Deutero-Isaia novum evolutionis religiosae hujusce populi stadium incoepisse : exhibet enim propheta Jahveh tamquam prophetiae et historiae dominum, Deum unicum, Creatorem et Providentiam, coram quo reliqui elohim nihil videntur nec sunt; porro, simul cum Jahveh populus judaicus universalem seu cosmicam significationem sortitur : si enim Jahveh unicus est Deus, nonnisi populo, quocum historicas relationes habuit, cuique prophetiarum custodiam demandavit, universale in oeconomia supernaturali munus competit. Quod itaque prophetae in Israel fuere, legis nempe et sapientiae praecones, id ipse Israel relate ad alios populos constituitur. Cujus muneris commissio honorifico nomine עבד יהוה exprimitur; munusque illud ut obeat dicitur Israel creatus et spiritu Jahveh inunctus (XLII, 1-4; XLIV, 21; XLIX, 1 sq.; L, 4-9; LI, 4. Nunc autem, demandatum sibi munus dum obiret, interitus sive devictus est Israel; qui interitus c. LII, 73-LIII, 12 describitur : haec itaque capita, quum figurato sermone passionem et mortem populi, ejusque gloriosam resurrectionem describant, quod et psalmi XXI auctor intellexit, eo tantum sensu messianica dici possunt, quod populi theocratici restaurationem et religiosam significationem universalem vaticinentur.

Expositam sententiam dijudicaturi, in memoriam revocamus cantus ebed-Jahveh juxta primitivam suam redactionem ad contextum, in quo nunc inserti reperiuntur, probabiliter non pertinuisse. Quocirca argumentatio hodiernae ipsorum contextae orationi innixa, primitivo sensui determinando probabiliter inepta est. Attamen, quia in praesenti controversiae stadio,

diversam compositionem nostris cantibus et poematibus inter quae occurrunt — eo saltem sensu quod priores sicut posteriora ad restaurationis praedictionem et eumdem auctorem non pertinuerint — competere non demonstratur, et quia ipsa definitivi redactoris mens nobis est inquirenda, poemata XL-LVI, *prout jacent*, analysi supponamus oportet. Porro juxta hanc etiam methodum non potest non animadverti « ebed-Jahveh » omni desiderabili claritate distingui a populo judaico, hocque in illis praecise locis quae personam aliquam individuam describere videntur, quaeque nomine « *ebed-Jahveh-Lieder* » condecorata sunt. Capite XLII, 6 exhibetur servus ut berith-am = foedus populi, et quidem ut ex XLIX, 8 luculenter patet, populi judaici; L, 10 propheta populum alloquens ait : « qui ex vobis timet Deum audiat vocem servi mei »; tandem LIII, 4 ipse Israel de servo testatur : « vere languores nostros ipse tulit et dolores nostros ipse portavit. » Quibus si addatur ipsum populum Israel ut servum Jahveh quandoque designari, ineluctabili illatione infertur titulum « ebed-Jahvèh » apud Deutero-Isaiam non semper eamdem significationem sortiri et in ipsis « ebed-Jahveh-Lieder » populum Israel historicum non praesignare. Cujus rei evidentia plures movit exegetas, ab individuali interpretatione refugientes, ut sub figura servi specialem populi judaici partem agnoscendam statuerent; qua in specificatione duplex schola efformata reperitur. Dillmann (1) et Driver (2) patroni sunt illius interpretationis quae servum considerat ut personnificationem idealem, quam propheta sibi effinxerit, nimirum ut populum judaicum electum, ornatum illis caracteribus et munere, quae ipsi juxta divinam oeconomiam competunt, quâeque in historia partialem, in futuro autem plenam realizationem accipere exhibentur. Kuenen (3) et Knobel (4) vero, Israelem spiritualem id

(1) *Der Prophet Jesaia (Kurzgefasstes exegetisches Handbuch zum Alten Testament)*, Leipzig, 1890[5].

(2) *Isaiah; his life and times and the writings bear his name*, London, 1893[2].

(3) *Historisch-critisch onderzoek naar het ontstaan en de verzameling van de boeken des Ouden Verbonds*, II, p. 111 sq., Leiden, 1889[2].

(4) Cfr Condamin, *O. c.*, p. 337.

est israelitas fideles et pios per oppositionem ad peccatores sub mysteriosa prophetae figura agnoscendos esse propugnant.

Verum animadvertendum obvenit restrictivas interpretationes expositas, quum nec intentam sensus et litterariae Deutero-Isaiae compositionis uniformitatem servent, nec caracterem manifeste individualem « ebed » explicent, remanere, ut tales, hypotheses collectivo sensui servando impares. Easdem insuper premunt et inanes esse conficiunt speciales difficultates plurimae. Contra sententiam Driver et Dillmann alte loquitur adjunctum illud, Dei servum Israelis salvationem per ipsam suam mortem esse perfecturum describi. Etenim providentialis Israelis idealis activitas in hujus ejusque attributorum realizatione historica et correlative in libenter agnito a populo servi munere ejusque fructibus consistere deberet. Insuper quomodo Israel idealis judicatus, passus et mortuus sit, quomodo numerosam obtenturus sit posteritatem, quomodo per ipsum populus electus historice liberatus sit, a fautoribus hujusce interpretationis explicari nequit.

Et manifestius adhuc ruinam facit solutio Knobel et Kuenen. Describitur quippe ebed tamquam foedus populi, berith-am, tamquam tribus Jacob restaurans XLIX, 6 et integri populi peccata expians : jam autem quum subjectum, cui haec bona promittuntur, indubie etiam imo praecipue meliorem populi israelitici partem complectatur, nequit ebed, qui propria peccata expianda non habet, cujus intuitu foedus cum populo a Deo initur, quique tamquam causa instrumentalis et meritoria beneficiorum conferendorum exhibetur, cum meliori et fideliori Israelis parte identificari. Ita, ubi L, 10 propheta dicit : qui ex vobis timet Dominum, audiat vocem servi mei, Israelem spiritualem et ebed Jahveh tamquam subjecta distincta, indubie considerat.

Elucet itaque, argumentum quod contra individualem et messianicam cantuum ebed-Jahveh interpretationem ex contexta oratione deduci solet, eidem potius favere. In omni quippe interpretatione admittendum est titulum « ebed-Jahveh » sicut nec in aliis litteraturae propheticae partibus, ita nec apud

Isaiam uniformiter sumi : Israeli quidem applicatur, at in illis tantum locis, in quibus haec applicatio explicitis verbis indicatur; in cantibus ebed-Jahveh proprie dictis vero, qui caracteres undequaque individuales servo adscribunt, talis indicatio deficit. Posito autem Israelem et prophetas titulo « ebed » condecorari ob demandatum ipsis munus religiosum, haud aegre intelligitur hanc personam, quae in oeconomia religiosa, doctoris, prophetae et victimae expiatricis munere modo eminenti fungitur, ebed-Jahveh κατ' ἐξοχήν dici posse.

Exclusis itaque interpretationibus quotquot sub figura prophetica collectivitatem aliquam agnoscendam statuunt, ad vindicandum sensum messianicum nonnisi perpauca addenda supersunt. Qui enim praeter Messiam ab exegetis cum ebed-Jahveh identificati reperiuntur individui, ut Moyses, David, Jeremias, Josias, Zorobabel, Jechomias, Eleazar propheticae descriptioni nullatenus correspondent, adeo ut recentiores critici, qui nobis adversantur, ad hypothesim celebrati a propheta martyris ignoti alicujus confugere debuerint. Insuper unanimi ferme ore proclamant aut fatentur cujusvis sententiae fautores Deutero-Isaiae vaticinia in persona et sorte Jesu Nazareni perfecta esse. Jam autem ex eo capite, quia nimirum Jesus cantus ebed-Jahveh sensu litterali et proprio, ut mox conficiemus, sibi applicuit, apodicticum in favorem sensus messianici argumentum jure desumitur.

§ 2. — *De conceptibus apud Judaeos circa Messiae passionem tempore Christi vulgatis.*

Circa conceptus, apud Christi coaetaneos circa Messiam patientem et pro populo expiantem vulgatos, quaedam verba addenda supersunt. Controversiae circa hanc quaestionem posteriori saeculi praeteriti parte in Germania motae, ansam praebuit opus quo De Wette (1) stabilire nisus est apud Domini coaevos, Messiae patientis et pro populi delictis satisfacientis

(1) *De morte Jesus-Christi expiatoria* (Opusc. p. 1-148).

ideam undequaque inauditam fuisse. Quam assertionem, a traditionali convictione longe discedentem quum impugnasset Wünsche (1), Dalman (2) in doctrinae judaicae historia certe peritissimus, quaestionem novo examini subjecit, et ex critica fontium analysi sententiam De Wette confirmare suscepit. Capitale suae opinionis argumentum in hoc collocavit quod contenderet, citationum acervum, quem traditionalem sententiam firmaturus in medium protulerat Wünsche ex scriptis talmudicis et posttalmudicis, posterioris esse aetatis, adeoque ad inquirendam judaicam, prout Christi tempore se habuit, theologiam, inservire non posse.

Erudito Dalman adstipulati sunt auctores plures ut H. J. Holtzmann, W. Baldensperger, H. Wendt, A. Seeberg et G. Hollmann. Similem in sensum, E. Schürer (3) et W. Bousset (4) recentius negarunt satisfactoriam Messiae passionem inter praecipua synagogae computari mysteria, simul tamen monentes eumdem conceptum tamquam unius alteriusve scholae doctrinam, in pluribus institutionibus fundatam at ob praedominantes circa Messiam gloriosum ideas vulgatas compressam, tempore Christi obviam occurrere.

Judicii, quod lector sibi efformet, fundamenta critica jam

(1) *Die Leiden des Messias,* Leipzig, 1870.

(2) Scriptum Dalman tres habuit successivas editiones, sub diverso titulo et cum modificationibus plus minus momentosis factas : 1° *Der leidende Messias der Synagoge im 1 nachchristlichen Jahrtausend,* Leipzig, 1887 ; 2° *Messias ben David, der leidende Messias der Rabbinen in « Nathanael », Zeitschrift für die Arbeit der evangelische Kirche an Israel,* ed. *H. L. Strack,* III (1887) p. 97-170 ; 3° *Der leidende und der sterbende Messias der Synagoge im 1 nachchristlichen Jahrtausend ;* Schriften des *Institutum judaicum* in Berlin, 1888, N. 4. Ad haec accedit ejusdem auctoris articulus, in eodem « *Institutum judaicum* » editus sub rubrica : *Das Prophetenwort von Sühnleiden des Heilsmittlers ;* 1891, N. 13. Cfr Hollmann, *O. c.,* p. 47.

(3) *Geschichte des jüdischen Volkes im Zeitalter Jesu-Christi,* II, p. 553 sq. Leipzig, 1898. Opinionem Schürer secutus reperitur M. Lepin : *Jesus Messie et Fils de Dieu d'après les Evangiles synoptiques,* p. 28 sq., Paris, 1004-

(4) *Die Religion des Judentums im neutestamentlicher Zeitalter,* p. 179 sq., Berlin, 1903.

afferamus oportet. Et primo quidem audienda sunt illa quae in Dialogo Justini cum Tryphone judaeo nostra de materia leguntur. Dictum quippe opus, quod inter a. 155 et 161 redactum censemus, ex professo et repetitis vicibus de Messiae passione loquitur: quum a Tryphone irrideretur celeber apologeta, quod salutem ab homine crucifixo exspectaret, Christi messianitatem et divinitatem ex Scripturis exque religiosa communitatis christianae experientia demonstrare aggressus est. Non infitiamur quidem, post inquisitiones Zahn, Schürer, Wehofer et Harnack, Justini opus tamquam fontem proprie historicum, qui disputationem realiter habitam et prout habita est, fideliter reproduceret, invocari non posse. Verum, ex fine cui inserviebat apologeta, exque specialibus calumniis et accusationibus ad quas saepe alludit, quasque in odium christianorum apud Judaeos prolatas et sparsas esse aliunde constat, eruitur litterariam Dialogi indolem, quominus Judaeorum sententias nobis aperiat, minime impedire.

Jam autem c. XXXVI asserit Trypho ὅτι παθητὸς Χριστὸς προεφητεύθη μέλλειν εἶναι, quae assertio c. XXXIX repetitur ὅτι γὰρ καὶ παθητὸς ὁ Χριστὸς... κηρύσσεται... ἱκανῶς διὰ τῶν προανιστορημένων ὑπὸ σοῦ γραφῶν ἀποδέδεικται. Ex citatis verbis inferri videretur Tryphonis circa Messiae passionem confessionem, in adductis a suo contradictore christiano momentis scripturisticis potius quam in antecedenter ad colloquium suasione jam habita fundari. In contrarium tamen faciunt textus plures qui stabilem Tryphonis hac in re convictionem exhibent. Ita c. LXXXIX fatetur: παθητὸν μὲν τὸν Χριστὸν, ὅτι αἱ γραφαὶ κηρύσσουσι, φάνερον ἐστιν, quo in textu, Scripturae quasi in confirmationem veritatis aliunde patentis adducuntur; item c. XC legitur: παθεῖν μὲν γὰρ Χριστὸν καὶ ὡς πρόβατον ἀχθήσεσθαι οἴδαμεν.

Medio itaque saeculo II Judaeos Messiam patientem non ignorasse luculenter colligitur. Verum in criticae historicae regulas impingeret, qui ex hoc solo capite inferret expiatorium mortis Messiae valorem apud Judaeos tempore Christi in confesso fuisse. Nam praeterquam quod functio satisfactoria passionis Messiae in adductis textibus vix praemonstretur, — utrum enim

invocata passio Messiae tribuatur formaliter ut munus messianicum, an tantum ut materialis tantum descriptionis a prophetis factae caracteristica, explicite non dicitur —, nequeunt certe ad ipsum Christi tempus referri, quae saeculo II obvia occurrunt. Quum enim soleant Judaei — quod tota ipsorum historia comprobat —, theologiam suam historico rerum statui coaptare, probabilitate non caret opinio asserens, urbis sanctae ruinam (a. 70) indeque exortam totius nationis sortem miseram hunc habuisse influxum ut quem antea exspectabant regem gloriosum, cum et pro populo patientem sibi figurare jam possent. Insuper ex Altercatione Simonis et Theophyli ad saeculum II pariter pertinente, Judaeorum saltem partem Messiam passurum penitus ignorasse eruitur.

Cum evangelio Lucae tempus Christo coaevum propius jam accedimus. In praesentatione Jesu in templo, quae in evangelio infantiae descripta reperitur, Simeon senex, puerum in ulnas postquam accepit, ad Mariam mox conversus, intensum ipsi hunc in modum dolorem vaticinatur, II, 34 sq. « Ecce positus est hic in ruinam et in resurrectionem multorum in Israel et in signum cui contradicetur. Et tuam ipsius animam gladius pertransibit ut revelentur ex multis cordibus cogitationes ». Parallelo modo, Joannes Baptista in quarto evangelio Christum agnoscit ut « agnum Dei, qui tollit peccata mundi » I, 29.

Verum nec ex his textibus solidum in favorem sententiae Wünsche argumentum desumi potest. Priora enim Simeonis verba ipsam Christi passionem nequidem tangunt : sejunctim sumpta, illud tantum important quod propter Jesum, id est propter sensus quibuscum Jesum recipient, plures salutem consecuturi, alii eamdem amissuri sint; quae sententia, propter judaicum determinismum, ita exprimitur ut ipse Jesus non tantum in resurrectionem multorum sed et in ruinam nonnullorum positus dicatur. Quae autem verba ad Mariam directa reperiuntur, si de dolore Virginis sub cruce Filio compatientis intelligantur, passiones Christo reservari manifeste supponunt : verum relate ad thesim Wünsche nimis probant. Tam concreta enim exitus Domini praedictio nonnisi ex charismate id est ex Spiritus inspiratione prolata dicenda est, adeoque ad deter-

minandas Judaeorum Christo coaevorum sententias inservire nequit.

Tandem nec documentis specifice judaicis roborari potest opinio Wünsche. Etenim in apocryphis et pseudepigraphicis theologiae judaicae fontibus, species Messiae describitur quidem multiplex, munus autem ejusdem satisfactorius nusquam. Imo Targum Jonathan, officiali apud judaeos gaudens valore, Deutero-Isaiae caput LIII Messiae ita applicat, ut versus, in quibus ebed-Jahveh passio expiatoria describitur, ad ipsum populum referat.

Articulus II.

De relatione Christum inter et Ebed-Jahveh juxta Synopticorum testimonium vigente.

Essentialis nostrae inquisitionis quaestio est utrum necne Christus sese sub figura ebed-Jahveh agnoverit et quidem non eo tantum modo quo homo calamitatibus compressus litterarium miseriae typum bene notum sibi applicet, sed ea ratione qua legatus divinitus missus munus sibi competens ex authentica voluntatis domini sui expressione colligeret, id est, sensu litterali et proprio. Cujus quaestionis examine, dum ipsam Domini circa Deutero-Isaiae cantus interpretationem inquiremus, generale dignitatis messianicae munus accuratius cognoscemus.

Porro dum quidam critici ut Dalman (1), Feine (2), Kähler (3), identitatem Christum inter et ebed-Jahveh a nostris evangeliis et quidem juxta ipsius Domini declarationes affirmari autumant, plures alii ut Brandt (4), G. Hollmann (5), H. J. Holtzmann (6),

(1) *Die Worte Jesu,* p. 191.

(2) *Jesus-Christus und Paulus,* p. 97 sq. Leipzig, 1902.

(3) *Dogmatische Zeitfragen,* ht. 2 : *Zur Lehre der Versöhnung,* p. 120 sq. Leipzig, 1898.

(4) *Die evangelische Geschichte auf Grund einer Kritik der Berichte über das Leiden und die Auferstehung Jesu,* passim, Leipzig, 1893.

(5) *Die Bedeutung des Todes Jesu,* p. 51 sq. Tübingen und Leipzig, 1901.

(6) *Lehrbuch der neutestamentlichen Theologie,* I, p. 370 sq.

Joh. Hoffmann (1), A. Loisy (2), authentiae vel interpretationis fontium critica ut ipsi dicunt, innixi, eamdem identitatem a Christi mente semovendam propugnant. Cum priori autem sententia tenemus Deutero-Isaiae vaticinia praeponderantem tenere locum in doctrina Christi, qui in ipsis tamquam in verbo Dei futuram suam sortem descriptam agnovit : quam assertionem ex pluribus Scripturae locis indubie authenticis, invicte stabiliri reputamus.

1. In ipsa Baptismatis, quo Christi dignitas messianica quasi actuatur et inauguratur, narratione, jam occurrit citatio ex Deutero-Isaia desumpta. Ibidem enim c. XLII, 1 legitur : Ecce servus meus, suscipiam eum; electus meus, complacuit sibi in illo anima mea : dedi spiritum meum super eum; gentibus judicium proferet. Nunc autem juxta Matth. III, 17 sq. vox divina, dum Jesus baptizabatur, sic locuta traditur : hic est filius meus dilectus in quo mihi complacui » et apud Luc. III, 22 : tu es filius meus dilectus; in te complacui mihi.

Quam Synopticorum cum Isaiae cantibus cognationem, narratio eorum quae Baptisma subsecuta sunt ipsique sunt ad modum contextus realis confirmat. Post Baptisma enim Jesus exhibetur conductus a Spiritu in desertum, ut tentaretur a diabolo (Marc. I, 12 = Luc. IV, 1 = Matth. IV, 1). Jam autem ductus Spiritus praecise ebed-Jahveh promittitur (Is. XLII, 1); tentatio autem, sive intelligatur ut factum historicum quod cum omnibus adjunctis concretis quae ab hagiographis describuntur, locum habuerit, sive ut factum psychologicum quod postea sensibili modo expressum fuerit, hunc habuit finem et effectum ut Jesus gloriam Messiae-regis a se abjiceret, humileque ministerium sibi seligeret.

(1) *Das Abendmahl im Urchristentum*, p. 120 sq. Berlin, 1903.

(2) *L'Evangile et l'Eglise*, p. 71 sq. Paris, 1902. Idem auctor citatum opus G. Hollmann hunc in modum approbat : « M. Hollmann fait très bien voir que l'application du chapitre (LII) d'Isaïe s'est développée dans la tradition chrétienne et que Jésus lui-même cite seulement le verset 12 et qu'il ne semble pas avoir eu d'attention particulière pour le reste » *(Revue d'histoire et de littérature religieuses,* VII (1902), p. 175). Cfr. etiam Hühn, *Die messianischen Weissagungen des israelitisch-jüdischen Volkes bis zu den Targumim historisch-kritisch untersucht und erläutert;* 2 Bd. Leipzig, 1899-1900; Dittmar, *Vetus Testamentum in Novo,* Göttingen, 1900.

Addatur et tentationi subsequens Christi in sua patria praedicatio, quae denuo virtuti accepti Spiritus adscribitur et per Deutero-Isaiae citationem justificatur. Rem, prout a Luca IV, 14 sq. enarratur, hic referre juvat. v. 14. Et regressus est Jesus in virtute Spiritus in Galilaeam et fama exiit per universam regionem de illo. V. 15. Et ipse docebat in synagogis eorum et magnificabatur ab omnibus. v. 16. Et venit Nazareth ubi erat nutritus et intravit secundum consuetudinem suam die sabbati in synagogam et surrexit legere. v. 17. Et traditus est ei liber Isaiae prophetae. Et ut revolvit librum, invenit locum ubi scriptum erat : v. 18. *Spiritus Domini super me eo quod unxerit me et evangelizare pauperibus misit me*... v. 21. Coepit autem dicere ad eos : *quia hodie impleta est haec scriptura in auribus vestris.*

Juxta antiquissimam itaque traditionem, cujus historicitatem quidam perperam in dubium revocant, Jesus ministerium suum inchoavit et regni fundandi laborem suscepit, cum conscientia sui cum ebed-Jahveh identitatis; et hinc est quod contra totius populi judaici exspectationem et conceptus, Messias se nobis sistat servum humilem, regiam gloriam a se abjicientem.

2. Proclamatam a Petro messianicam suam dignitatem quomodo intelligat propriumque quem sibi proposuit finem aperiens, Jesus apud Marc. X, 45 et Matth. XX, 28 sic traditur locutus : καὶ γὰρ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου οὐκ ἦλθεν διακονηθῆναι ἀλλὰ διακονῆσαι καὶ δοῦναι τὴν ψυχὴν αὐτοῦ λύτρον ἀντὶ πολλῶν. Infra hujusce logii interpretationis criticam ubi instituemus, cognationem qua cum cantibus Ebed-Jahveh devincitur, ex professo determinabimus. Interim advertisse sufficiat Dominum illud ipsum munus quod propheta in servo-Jahveh celebrat sibi assumpsisse : quum habeat jus ad obsequia, servum se constituit; servitium praestitum summum est quum ad sui traditionem pertingat; haec tandem traditio pretium redemptionis pro multis constituit. Ubi itaque Dominus hanc soteriologicam functionem ipsius suae apparitionis finem proclamat, nonne obvie infertur ipsum se cum ebed-Jahveh identificare?

3. Descriptae proclamationi plures succedunt aliae, quibus hoc proprium est quod Messiae sortem, prout in concreto futura

erat, clarius jam praedicent, adductis quandoque ex Veteri Testamento et signanter ex libro Isaiae citationibus. Quarum uni, ad litteram ex ipsis cantibus ebed-Jahveh desumptae, specialius studeamus oportet. Coenam eucharisticam inter et agoniam prolata et apud solum Lucam XXII, 37 servata reperitur : λέγω γὰρ ὑμῖν ὅτι τοῦτο τὸ γεγραμμένον δεῖ τελεσθῆναι ἐν ἐμοί, τό · καὶ μετὰ ἀνόμων ἐλογίσθη · καὶ γὰρ τὸ περὶ ἐμοῦ τέλος ἔχει. Vaticinatur itaque Dominus se cum iniquis computatum iri; quam ignominiam sibi ex necessitate divina (δεῖ) incumbere asserit, quia sic praedixit propheta : « et cum iniquis deputatus est » (Is. LIII, v. 12).

At non pauci critici ut O. Pfleiderer (1), Joh. Hoffmann (2), quibus non placet illa quam propugnamus Jesu et Ebed-Jahveh identificatio, logii apud Lucam relati authentiam impugnare illudque tamquam « vaticinium ex eventu » a Christi paternitate abjudicare non dubitarunt. Contra quos G. Hollmann (3) et P. Feine (4) Lucam fidelem hac in re historiae testem constituunt, simul tamen monentes huic breviori citationi « et cum iniquis deputatus est » soteriologiae proclamationem nullam inhaerere. Quam controversiam dijudicaturi, ejusdem citationis inquiremus authentiam, qua stabilita, intimam ejusdem significationem determinabimus.

Rationes quibus ejusdem authenticitatem labefactent proferuntur quatuor; scilicet : 1° totius pericope Lucanae XXII, 34-38 indoles fluens et incerta; 2° vigens tertium evangelium inter et duo priora synoptica hac in re antinomismus : colloquium quod Jesus cum discipulis ante passionem suam habuit et in quo nostra citatio inserta prostat, a Luca ante egressum ad olivarum montem reponitur; Marcus et Matthaeus vero eumdem egressum ut Eucharistiae celebrationi immediate succedentem describunt. 3° Addatur et caracter legendarius eorum quae in contextu

(1) *Das Urchristentum, seine Schriften und Lehren,* I, p. 684 sq. Berlin, 1902.

(2) *L. c.,* p. 53 sq.

(3) *L. c.,* p. 67 sq.

(4) *Jesus-Christus und Paulus,* p. 109. Leipzig, 1902.

Lucano enarrantur et in specie pericope quae est de gladiis. Tandem 4° rem conficere debet animadversio, quod v. 37 contextum abrumpat et egregiam versuum 36 et 38 connexionem solvat.

Verum prolatae difficultates rem propius consideranti facile evanescunt. Imprimis quidem oculos incurrit v. 35-38 contineri colloquium Domini cum apostolis per se stans, cujusvis tendentiae doctrinalis expers, cujusque indolem archaicam G. Hollmann agnovit et in lucem posuit. Incertitudo, quam ipsi inesse non negamus, resultat imprimis ex aequivoca expressione τέλος ἔχει, quae sive de adimplenda in Christi persona prophetia, sive de ipsa Domini sorte quae ad finem suum pertingit, aequo ferme jure intelligi potest. Difficultas itaque hagiographi vel fontis ipsius versioni inhaeret, et contra ipsam logii impugnati authentiam nihil facit.

Reponunt quidem incertitudinem et aequivocationem ipsis verbis quae in ore Christi reponuntur inesse, et ex discipulorum inintelligentia confirmant. Quod quo jure dicatur inquisituri, sententiarum prolatarum connexionem per prius restituamus oportet. Mundum derelicturus supremam suis tradit Dominus monitionem, magistri nempe absentiam discipulorum conditionem notabilem in modum esse immutaturam; quam monitionem jam fecerat antea, ubi ipsis jejunium ut manifestationem tristitiae per disparitionem sponsi inducendae, indixerat. (Marc. II, 19-20). Quo tempore cum Jesu conversati erant apostoli, nulla re indiguerant et absque animi cruciatu vitam egerant. In futurum jam non erit sic : ablato Jesu, sibi ipsis providere habebunt, et ipsismet sui defensio incumbet. Quae monitio versu 36 exprimitur : ἀλλὰ νῦν ὁ ἔχων βαλλάντιον ἀράτω, ὁμοίως καί πήραν, καὶ ὁ μὴ ἔχων πωλησάτω καὶ ἱμάτιον αὐτοῦ καὶ ἀγορασάτω μάχαιραν. Cur autem Dominus suos derelinquere debeat, explicat ipse adducta citatione ex Deutero-Isaia : dico enim vobis etc. (v. 37). Nunc autem gladii emendi metaphoram, qua Dominus simpliciter docuerat fore ut semetipsos defendere haberent discipuli, hi ad litteram intelligentes, respondent duos gladios se habere; eosque occasione mox data cruentum in modum adhibent. Colloquium abrumpens, ait Dominus ἱκανόν

ἐστιν (1). Elucet itaque allegatam nostri textus incertitudinem cum ipsa memoratione verborum Jesu nihil habere commune, adeoque contra eorumdem authentiam ex eo capite nullum praejudicium oboriri posse. Censent quidem O. Pfleiderer, Joh. Hoffmann et alii Christum gladiorum emptionem discipulis suasisse, sui tuitionis intuitu et ad instantem adversariorum impetum repellendum. Inaudita autem assertio haec, gratuita prorsus, a contextu manifeste retunditur. Quidnam enim sibi vellet, in interpretatione tradita, sacculi et perae mentio? « Sed nunc qui habet sacculum, tollat similiter et peram et qui non habet tollat tunicam suam et emat gladium? » Insuper in hac rerum angustia, de emendis gladiis serio non erat cogitare, aliisque gladiis usi non sunt discipuli, nisi illis quos ante habebant. Tandem ex Matthaei XXVI, 52 testimonio, Christum figurative locutum esse denuo eruitur : carpitur enim Petrus, quod Malchum gladio percusserit.

Nec firmius videtur argumentum, quod contra nostri logii authentiam ex praetensa Lucae cum aliis synopticis contradictione desumitur. Verum quidem est, testibus Marco XIV, 26 et Matthaeo XXVI, 30 Jesum absoluta coena eucharistica, olivarum montem immediate petiisse : absolvitur quippe coena et inchoatur egressus ad montem olivarum eadem hymni recitatione : καὶ ὑμνήσαντες ἐξῆλθον εἰς τὸ ὄρος τῶν ἐλαιῶν. Et pariter verum est colloquii de quo inquirimus relationem apud Lucam egressus descriptionem praecedere. Verum, ex allata diversitate unice consequitur idem colloquium in tertio evangelio extra historicum

(1) J. Belser, *Die Geschichte des Leidens und Sterbens, der Auferstehung und Himmelfahrt des Herrn,* Freiburg, 1903, p. 231, verba ἱκανόν ἐστιν sic interpretatur : « Es ist durchaus unwahrscheinlich, dass der Heiland mit den Worten ἱκανόν ἐστιν sagen wollte, die zwei Schwerte seien ausreichend. Man müsste schieslich solche Auffassung plausibel machen durch die Annahme einer Ironie auf seiten Jesu = egregia armatura, satis instructi estis adversus omnium hostium vim et impetum. Die ironische Fassung widerstreitet aber durchaus dem Ernst der Situation ; deswegen bezieht man das Wort Jesu am besten auf das Gespräch : sufficit, satis est oder satis sit. Der Heiland bricht damit das Gespräch über den Gegenstand ab, nicht etwa aus *Unwillen* = desinite tales ineptias proferre, sondern in dem Gedanken : der weitere Verlauf der Dinge wird euch in das Verständnis meiner Worte einführen ».

suum contextum versari. Quod phenomenon quod in evangeliis saepe saepius occurrit, exque speciali hagiographorum scopo aut ex instabili quem in catechesi primitiva plura logia tenuere loco explicandum est, in praesenti casu eo minus habet momentum, quod Lucas nullam relationem chronologicam sed quasi asyndetice plures eventus exponat : καὶ εἶπεν, καὶ ἐξελθών. Notandum insuper obvenit, Lucam pari modo etiam praedictionem lapsus Petri extra historicum suum contextum semovisse, ut ex Marco XIV, 30 = Matth. XXVI, 24 indubie constat. Hinc quum dictae praedictionis authentia labefactari nequeat ex eo quod in tertio evangelio locum indebitum sortiatur, pari modo, nostri logii genuinitas ex eodem adjuncto detrimentum capere nequit.

Tandem manifeste erronea est assertio versum 37 sententiarum nexum solvere. Impugnatus enim versus rationem reddit illius mutationis quam in discipulorum conditione Dominus adventuram nuntiat : magister juxta arcana Dei consilia mox tollendus, jam non poterit suorum indigentiis providere; imo persecutio, qua auferetur Jesus, et discipulos attinget. Sententia itaque v. 37 expressa connaturalem in suo contextu locum sortitur.

Itaque Lucanae pericope historicitatem nonnisi arbitrarie impugnare aut in dubium revocare potuerunt. Cujus interpretationem quod spectat, etsi Feine et G. Hollmann dicentibus verba « et cum iniquis deputatus est » per se et praecisive sumpta nihil habere quo mortis Domini valor quilibet indicetur, consentiendum sit, ex inspecto tamen modo quo eadem a Christo invocantur, prophetiam stricte dictam et quidem de munere Christi messianico factam hic prostare, non immerito sustineretur. Etenim in fonte suo prophetico citata verba ad functionem redemptoriam servi Jahveh indubie pertinent : ideo praecise cum iniquis deputatur innocens quod multorum peccata expiatione tollenda in se susceperit. Ab altera quidem parte, in ipsa citatione : dico enim vobis quoniam adhuc hoc quod scriptum est debet impleri in me : Et cum iniquis deputatus est, manifeste supponitur invocatam prophetiam ideo implendam in Jesu, quia passionis ipsius descriptionem continet : quod

quidem tum sententiarum connexio, tum praesentia vocis δεῖ quae necessitatem divinam praemonstrat, tum praesertim contexta oratio, juxta quam adductae prophetiae ratio redditur « etenim ea quae sunt de me, finem habent » indubie exigunt. Passivitas itaque Domini et resignatio hic obviae, ad munus ipsius messianicum pertinent et non alio de motivo humiliationum viam selegit Christus, nisi quia se ebed-Jahveh Messiam dolorum et per dolores hominum redemptorem noverat.

*
* *

Antequam instituto examini conclusionem apponamus, aequum videtur ut rationes quae a criticis in sensum contrarium afferuntur audiamus et dijudicemus. Mentem suam nostra de quaestione sic aperit G. Hollman : Praeter Lucae XXII, 37 — in quo loco parallelismum inter typum et antetypum sub respectu soteriologico proponi, nihil suadet —, nullibi refertur Jesum ad Isaiae LII, 13-LIII tamquam ad propriae sortis praedictionem reflexisse, adeo ut ex solorum Marci et Matthaei lectione, identificationem ebed-Jahveh et Jesu, hujus revelationi adscribere, nemini umquam suspicio enasci potuerit. Quae quum ita sint, quominus Christus activitatem suam activitati servi Jahveh commensuraverit et coaequaverit, psychologica impossibilitas est maxima, et quae in contrarium adducuntur ut mera petitio principii sunt depellenda. Maneret itaque ad summum possibilitas haec, Jesum ad Deutero-Isaïam quasi ad typum quemdam litterarium ex momentanea inspiratione prospexisse.

Insuper ipsam identificationis Jesum inter et ebed-Jahveh a primitiva communitate propugnatae originem posteriorem, post H.-J. Holtzmann et O. Pfleiderer adinvenire et demonstrare sategit Joh. Hoffmann. Cui si credamus eadem cum legendaria fidei primorum christianorum evolutione et transformatione cohaereret. Quorum crisis instituenda superest.

*
* *

1. Jesum, si sortem suam in Deutero-Isaia descriptam agnovit, ad hanc prophetiam saepius attendere debuisse ut

observat G. Hollmann (1), verum quidem est; sed et realiter attendisse pro tribus ipsius vitae eventibus maximi momenti quantum satis confecimus. Cui demonstrationi raptim addere complementum, haud injucundum videtur. Joannes Baptista regni Dei adventum anxius in sua custodia exspectans, duos ad Jesum legat discipulos qui petant sitne ipse Messias. Quibus respondens, Jesus opera sua et praecise illa quae a Deutero-Isaia servo Jahveh adscribuntur enumerat (Matth. XI, 2 sq. = Luc. VII, 18 sq.). Insuper in non paucis locis in quibus mortis suae tamquam a prophetis praedictae necessitatem indicat, Jesus longe probabilius ad Isaiae vaticinia alludit aut provocat. In colloquio quod cum discipulis circa traditorem habuit, huic miserrimum exitum praedicit, cum animadversione filium hominis disponente Deo pati debere : ὁ μὲν υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ὑπάγει καθὼς γέγραπται περὶ αὐτοῦ (Marc. XIV, 21 = Matth. XXVI, 24) ὅτι ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου κατὰ τὸ ὡρισμένον πορεύεται (Luc. XXII, 22). Isaiae vaticinia hunc esse fontem ad quem Dominus respicit, obvia illatione concluditur. Quod dum concedunt adversarii, simul tamen monent hagiographos (aut fontem ipsorum) logion Domini authenticum temdentiose interpolasse. Verba καθὼς γέγραπται περὶ αὐτοῦ resecanda propugnat G. Hollmann tamquam constituentia parenthesim quae salvo sensu supprimi potest, quae egregiam Christum inter et Judam anthesim constitutam solvit et cum descriptis rerum angustiis in quibus a Christo sermo nonnisi brevis et nervosus exspectatur non quadrat. Quibus consentiens W. Wrede (2) prolatam sententiam tamquam vaticinium ex eventu removendam proclamat. Verum quum in textu prout legitur indicata antithesis integra remaneat, et simul invocata prophetia egregie rationem reddat illius aequanimitatis quacum Dominus passionem subit, quum humano modo loquendo, eamdem a se removere posset, quumque in tribus synopticis et quidem juxta duplicem formam impugnata verba tradita prostent, adversariorum assertio ut aprioristica negligenda est.

Ubi mox postea missa a principibus sacerdotum militum

(1) *O. c.*, p. 88.
(2) *Das Messiasgeheimnis in den Evangelien*, p. 83 sq. Göttingen, 1901.

cohors, manus in ipsum injicit, Jesus eamdem suae passivitatis explicationem tradit, Marc. XIV, 48 sq. = Math. XXVI, 56 sq. Tamquam ad latronem existis cum gladiis et lignis comprehendere me. Quotidie eram apud vos in templo docens et non tenuistis me : sed ut impleantur Scripturae, ἀλλ' ἵνα πληρωθῶσιν αἱ γραφαί. Ita quidem Marcus. Matthaeus vero, apud quem Jesus hanc suae sortis explicationem sub forma quaestionis ad Petrum gladio percutientem directae πῶς οὖν πληρωθῶσιν αἱ γραφαί, ὅτι οὕτως δεῖ γενέσθαι; jam anticipavit, formam Marci, sua faciendo Christi verba, immutat : τοῦτο δὲ ὅλον γέγονεν ἵνα πληρωθῶσιν αἱ γραφαὶ τῶν προφητῶν. Manifestum est autem ex hac formulae sub qua Domini verba transmissa reperiuntur diversitate, rationem non exsurgere cur cum Brandt (1) integram historiam confictam, aut cum G. Hollmann formam Marcianam retractatam asseramus.

Tribus tandem locis, Lucae propriis, post Christi resurrectionem, aperiuntur prophetiae passionem ipsius praedicantes, XXIV, 7, 27, 45; quibus ideo insistere nolumus, quod ad cognoscendam Christi mortalis psychologiam directe inservire nequeant.

2. Egregiam illorum quae statuimus confirmationem reperiemus, si investigemus locum quem apud primos christianos Messiae et ebed-Jahveh identificatio sortitur. Examinis enim circa hanc materiam instituti conclusio huc redit : primitiva communitas, inde ab initio activitatis suae apostolicae post Christi mortem peractae, conscientiam habuit hunc esse servum quem Isaias celebraverat; quae conscientia in documentis in quibus fides primitiva consignatur multo vividius quam in scriptis ad posteriorem aetatem pertinentibus expressa reperitur; tandem posterioris retractationis hac in materia factae vestigium penitus desideratur.

In oratione quam s. Petrus, occasione curationis viri « qui claudus erat ab utero matris suae » protulit, Act. Apost. III, 13

(1) *Die evangelische Geschichte und der Ursprung des Christentums auf Grund einer Kritik der Berichte über das Leiden und die Auferstehung Jesu*, p. 6 sq. Leipzig, 1893.

legitur : ὁ Θεὸς ἐδόξασεν τὸν παῖδα αὐτοῦ Ἰησοῦν ὃν ὑμεῖς μὲν παρεδώκατε : haec autem assertio, duplicem ad Isaiae cantus allusionem continere videtur : *a)* traditioni Jesu a Judaeis opponitur ejusdem a Deo glorificatio, eodem modo ac Is. LII, 12; *b)* insuper, ipsa locutio παῖς Θεοῦ voci « ebed » aequipollere videtur : exprimit enim munus in oeconomia salutis alicui demandatum. Simili modo, Act. Apost. VIII, 32 sq., eunucho legenti, descriptionem illius qui ovis instar ad occisionem ducitur et tamquam agnus coram tondente se obmutescit, Philippus illud vaticinium in Christo impletum esse proclamat. Jamvero posito, quod supra confecimus, Judaeos Christi coaevos, messianicum cantuum Isaiae, in qua parte servum Jahveh respiciunt, sensum assecutos non esse, intelligi nequit quomodo primitiva communitas Jesum sub hac figura prophetica agnoverit, nisi ab ipso Domino hac de re edocta fuerit.

Invocat quidem G. Hollmann Deutero-Isaiae citationem apud Matth. VIII, 17 obviam ut irrefragabile suae theseos argumentum. Hagiographus in daemonium habentium sanatione, a Christo patrata, impletam asserit Isaiae LIII, 4 prophetiam : « omnes male habentes curavit, ut adimpleretur quod dictum est per Isaiam prophetam dicentem : Ipse infirmitates nostras accepit, et aegrotationes nostras portavit ». Quocirca rogat eruditus exegeta sitne possibile Matthaeum Isaiae prophetiam eo modo invocare potuisse, si eamdem de vicaria Christi morte audiendam novisset.

Verum allegata difficultas nulla fit consideranti redactoris primi evangelii processum litterarium (1) : ipsi enim solitum est

(1) Aliud citationis per accommodationem exemplum apud Marc. XIV, 27 = Matth. XXVI, 31 prostare videtur : « Et dicit eis Jesus : omnes scandalizabimini in me in nocte ista; quia scriptum est : Percutiam pastorem et dispergentur oves ». Quae verba audienti, statim in memoriam occurrit Zachar. XIII, 7b : « percute pastorem et dispergentur oves ». Porro textus propheticus sensu litterali et juxta primitivum suum tenorem spectatus, regem negligentem et poenas daturum, Sedeciam nempe spectabat (Cfr A. Van Hoonacker, *Les chapitres IX-XIV du livre de Zacharie, in Revue biblique,* t. XI (1902), p. 161 sq. et 347 sq.). Immerito tamen censet Brandt, *O. c.,* p. 20 adductam citationem, utpote sensu

Veteris Testamenti prophetias in Christo adimpletas monstrare, etiamsi sensu accommodatitio tantum ipsi conveniant. Ceterum, quo tempore scriptum suum exaravit primus evangelista, litteraria Petri et Pauli activitas ad finem perducta erat, et certe a communitate complexive sumpta Jesus ut ebed-Jahveh habebatur. Tandem ex locis supra allatis, etiam primum evangelium genuinam Isaiae quam tuemur interpretationem cognovisse et secutum esse, indubium est.

Itaque Christi et ebed-Jahveh identificatio, quam synoptici adstruunt, in authenticis Domini verbis fundata apparet.

CAPUT II.

MUNUS CHRISTI SOTERIOLOGICUM PRESSIUS DETERMINATUR.

Articulus I.

De praedictis a Christo passione sua et morte.

Duo specialia Synopticorum loca, nimirum logion Marc. X, 45 = Matth. XX, 28 et verba in Eucharistiae institutione prolata, determinandae Domini circa mortis suae valorem soteriologicum menti, essentiales fontes constituunt. Quae quum a pluribus auctoribus tamquam legendariae aut saltem tendentiosae historiae evangelicae retractationis, qua et varia mortis

accommodatitio factam, non ipsi Christo sed primitivae communitati, quae discipulorum dispersionem cum Zachariae loco post eventum contulerit, adscribendam esse. Etenim 1° posset dici cum G. Hollmann, *O. c.*, p. 63 sq. Zachariae textum, prout hodie in canone prostat et legenti Christo se exhibuit, nihil habere quo culpabilis regis-pastoris negligentia indicetur, propterea quod XIII, 7-9 nullo nexu apparenti praecedentibus religetur, nec in ipsa hac pericope vituperatio quaedam occurrit. Attamen 2° quia non probatur hunc a Christo propheticum textum sensu litterali invocari, eumdem ad modum sententiae bene cognitae, quae ut talis egregiam apud apostolos realizationem acceptura erat, usurpatum censemus.

Christi vaticinia ex eventu adinventa sint, foetus considerentur, perprius an et qua ratione Messias exitum suum praeviderit, critice investigare suscipimus.

Quoad vaticinia ab hagiographis hanc circa materiam in ore Domini reposita, triplex viget inter criticos sententia principalis. Prima illorum est, qui eadem tamquam a primitiva communitate in scopum apologeticum adinventa, Christo radicitus abjudicant. Inter praecipuos radicalioris hujusce opinionis fautores numerare est Holsten (1), W. Wrede (2), O. Pfleiderer (3), Joh. Hoffmann (4), A. Eichorn (5), Stapfer (6), A. Réville (7). Quorum placita, juxta crudiorem quam exhibent O. Pfleiderer et Joh. Hoffmann formam spectata, huc redeunt. Inquisitionis circa ultimam vitae Domini partem critica methodo institutae conclusio sic sonat : Nazarenus propheta Hierosolymas petiit ut impiam hierarchiam detruderet; itaque victoriam de inimicis referre speraverit, aut saltem pugnam cum ipsis inire statuerit. Quod supremum conamen felicem eventum sortiri videbatur!... Urbem sanctam quippe ingrediens, Jesus ut Messias conclamatur : ab hoc momento cessit jam omnis timor et dubium. In praesumptione relatae victoriae, et messianico munere jam fungens, vendentes et ementes ex templo ejicit; mox, enthusiasmo flagrans puella ipsum, in Bethania, in regem inungit; exspectatur ab ipso parousia gloriosa adventura, ut ex verbis in ultima coena prolatis eruitur. At nec inimici dormiunt : in olivarum horto, Jesus, postquam gladiis se suosque tueri statuerat, captivus ducitur ad crucem; moriens se a Deo derelictum miratur, exclamando : Deus mi, ut quid me dereliquisti?

Quidam tamen hujusce sententiae patroni, ut A. Réville, mitius

(1) *Zum Evangelium des Paulus und des Petrus*, p. 155 sq., 1868.

(2) *Das Messiasgeheimnis in den Evangelien*, passim, Göttingen, 1901.

(3) *Das Urchristentum, seine Schriften und Lehren*, I, p. 676 sq. Berlin, 1902.

(4) *L. c.*

(5) *Das Abendmahl im Neuen Testament*, p. 12 sq., Leipzig, 1898.

(6) *La mort et la résurrection de Jésus*, passim, Paris, 1898.

(7) *Jésus de Nazareth*, II.

loquuntur et fatentur Jesum sibi conscium fuisse periculi quod Jerosolymas petens incurrebat, ita tamen ut omnem spem victoriae aut impunitatis ipsum non dereliquisse constituant. Omnibus his exegetis communis itaque assertio est prophetias a synopticis in ore Domini repositas esse ex eventu, in scopum apologeticum adinventas. Quam radicalem positionem tueri videtur etiam A. Loisy (1), ubi dicit : « Il est vrai que, depuis la confession de Simon-Pierre, Jésus est *censé* avoir entretenu plusieurs fois ses disciples du sort qui l'attendait en tant que Messie, mais l'énoncé général de ces discours, où n'apparaît aucune sentence formellement retenue comme parole du Seigneur, *étant calqué sur les faits accomplis et sur le thème de la prédication chrétienne primitive,* une telle assertion complique le problème plutôt qu'elle ne l'éclaircit. Tout ce qui regarde la messianité de Jésus n'appartiendrait-il pas à la tradition, et la prétendue réserve du Sauveur n'aurait-elle pas été *un silence absolu,* beaucoup plus facile à concevoir que la situation équivoque décrite par les évangélistes?

Juxta secundam sententiam, quam propugnant W. Baldensperger (2), Joh. Weiss (3), G. Hollmann (4) et plures alii, relatae in fontibus nostris Christi praedictiones essent quidem substantialiter genuinae, adeo ut ex eisdem ipsum exitum suum praevidisse tuto colligere possimus, attamen plus minus ex motivo sive psychologico, sive litterario, sive etiam doctrinali immutatae. Retractationes quaedam ex psychologico motivo inductae fuerint, eo sensu quod disciputi confusam tantum verborum magistri memoriam servassent, et ideo proprio marte quaedam logia adinvenerint aut retractaverint. Quam sententiam ex ipso textuum tenore confirmare suscepit W. Baldensperger. Ipsis evangelistis testibus, sic ille, discipuli monitionum a Christo urbem sanctum petente factarum sensum non sunt assecuti, et

(1) *L'Evangile et l'Eglise,* p. 51, Paris, 1902.

(2) *Das Selbstbewusstsein Jesu im Lichte der messianischen Hoffnungen seiner Zeit,* p. 120 sq., Strassburg, 1888.

(3) *Die Predigt Jesu vom Reiche Gottes,* p. 171 sq., Göttingen, 1900.

(4) *O. c.,* p. 10 sq.

vaticiniis passionem Domini respicientibus, lapsus Petri praedictio annectitur. Porro talia asserta, quum apostolos minorare nata sint, legendarie adinveniri non potuerunt, Ab altera vero parte, arbitrarias retractationes aut etiam violentas interpretationes historiae evangelicae superinductas esse, ex hodierno quem logia circa signum Jonae necnon circa templum destruendum et post triduum reaedificandum exhibent tenore, legitime infertur.

Ad litterarium textuum aspectum se conferens, Joh. Weiss similem historicae fidelitatis et tendentiosae retractationis mixtionem in evangeliis obviam occurrere sustinet. Ipsius enim judicio, Marci VIII, 31; IX, 9 et X, 32 tamquam unius ejusdem logii duplicata, ad impressionem faciendam introducta, accipienda sunt. Ex variis autem vaticiniis Christo adscriptis, illud quod legitur Lucae IX, 44 : ὁ γὰρ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου μέλλει παραδίδοσθαι εἰς χεῖρας ἀνθρώπων, tum ob verborum lusum, qui duabus his locutionibus ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου et ἀνθρώπων instruitur, tum quia Marci X, 33 et XIV, 41 juxta illud efformata sunt, ut magis genuinum considerat.

Tandem G. Hollmann prophetiarum, quae messianitatis Domini proclamationi a Petro factae succedunt, historicitatem tuetur, et in argumentum invocat ipsum antinomismum quem inter varias hagiographorum assertiones hac in materia deprehendi asserit. Quum enim Marc. VIII, 31 et Matth. XVI, 21 momentum praecisum, a quo Jesus sortem suam discipulos edocuerit, versus vitae ipsius finem statuant, et simul pro prima vitae parte quaedam mortis vaticinia, ut allegoriam sponsi auferendi (Marc. II, 19-20) et signum Jonae (Matth. XII, 40) referant, dicendum priorem positionem ex historia, posteriorem ex theologia inspiratam fuisse.

Tertia denique sententia omnia et singula quae in ore Domini obveniunt vaticinia, et quidem juxta illam quem in fontibus nostris exhibent formam, a Domino reapse prolata esse, considerat.

* * *

Quibus sic se habentibus, historicae veritati restituendae ap-

tiorem methodum esse conduximus, ut per prius illos textus qui proclamationem Cesaraeae Philippi habitam subsequuntur examini subjiciamus, dein psychologicos Domini circa mortem suam sensus, quales in priori vitae ipsius parte se manifestant, determinemus. Tali quippe materiarum divisione, in ipsa fontium descriptione fundata, distincte et successive primam et secundam sententias recensitas ad criticae tribunal vocare poterimus. Sit itaque :

§ 1. — *De praevisis et praedictis a Christo passione sua et morte in posteriori vitae ipsius parte.*

1. Proclamatio messianitatis Domini Cesaraeae Philippi facta, determinandis Christi praedictionibus, aeneum, ut scite dicit G. Hollmann, fundamentum constituit. Quae hucusque peregerat retrospiciens, rogat apostolos Dominus, quomodo considerari soleat; et extraneorum aestimatione, qua ipsum ceu prophetam resuscitatum aliquem puta Joannem Baptistam aut Eliam putabant, non contentus, ipsorum discipulorum opinionem manifestari postulat. Agnitam a Petro messianitatem suam Jesus fatetur quidem, at eo sensu intelligendam aperit ut prophetiarum Messias opus suum per ignominiosam mortem consummare debeat. Quae declaratio, ob intrinsecum ipsius momentum, profundam in apostolos impressionem non facere non potuit. Et revera, fidelem hujusce memoriam tenentes, momentum illud tamquam terminum a quo Dominus sortem suam praenuntiavit, accurate describunt : καὶ ἤρξατο διδάσκειν αὐτούς (Marc. VIII, 31) ἀπὸ τότε ἤρξατο ὁ Ἰησοῦς δεικνύειν κ. τ. λ.

Quo non obstante, prolatae praedictionis historicitatem in dubium revocare quidam non dubitarunt. Praeter orationem, qua in olivarum horto Christus calicis remotionem sibi postulavit, duae rationes ab adversariis in medium proferuntur : prior spectat discipulorum obcaecationem, quae etiam post Domini exitum perdurasse describitur. Intelligi nequit, ait Holsten, quomodo apostolos imparatos reperierint eventus,

quibus Hierosolymis e vivis sublatus est Christus, si circa illos ipsi fuerint praemoniti; nec explicari valet quomodo ipse Christus apostolis sortem suam non revelaverit, si ejusdem praescientiam habuit. « Non poterat itaque, aut non volebat passionem suam et mortem vaticinari! » Et simili ratiocinio statuit Beyschlag Jesum communicare non potuisse praescientiam, quam ipsum non habuisse dicendum est, nisi admittatur transfigurationem quovis pro ipso sensu caruisse.

Quae quidem considerationes fucum facere natae sunt illi soli, qui externae rerum cortici adhaeret; pressius vero consideratae imbelles decidunt. Problematis enim, si quod habeatur, solutio, suppressione unius seriei textuum non obtinetur, sed integrae traditioni evangelicae aptetur oportet. Nimis manifestum est enim logion Christi, quale est illud quo Petro dicitur : « vade retro satana, scandalum mihi es, quia non sapis ea, quae Dei sunt sed ea quae hominum », Marc. VIII, 33; Matth. XVI, 23 legendarie adinveniri non potuisse. Apostoli itaque Domini praedictionum intimum sensum sufficienter non sunt assecuti. Nunc autem difficultas quae ex eo capite oboritur, duplici consideratione enervatur. Ut enim supra diximus, apostoli sicut et alii Domini coaetanei exspectabant Messiam gloriosum : hinc a quo Dominum ut Messiam habuere, eumdem passionem et mortem exspectare capere non poterant. Insuper, etiamsi hac in re pragmatismus aliquis in evangelio Marci agnoscendus sit — de quo dubitamus omnino — hic historicitati textuum non officeret. Quod attinet autem ad transfigurationem, libenter concedimus hanc primarie apostolos instruendi causa factam esse : sicut in baptismo et tentatione, Messiae munus et dignitas pro ipso Jesu actuata sunt, ita in Petri confessione et mox subsequente transfiguratione apostolis revelata sunt : hinc rationis a Beyschlag adductae suppositum negari debet (1).

* * *

2. Praedictionem Cesaraeae Philippi habitam plures aliae, durante itinere ad urbem sanctam prolatae, subsequuntur. Ex

(1) Cfr P. Feine, *O. c.*, p. 125 sq.

quibus quatuor tribus synopticis sunt communes, tres apud duos recensitae et circiter decem apud unum tantum obviae occurrunt (1).

Dominus itaque Jerusalem petit ut ibidem moriatur, vel saltem — ne dogmaticas quaestiones praejudicemus —, cum clara exitus sui praevisione : totus quippe passionis processus, prout reapse contigit, graphice prostat descriptus. Suppetuntne motiva, cur indicata vaticinia ut spuria depellamus? A. Eichorn (2) criticum, ut ipse testatur, historiae evangelicae examen instituens, lectorem ingenue monet placita ab ipso adducenda nullius esse valoris pro illo, qui tam exactam passionis praedictionem ut possibilem considerat. Verum quaenam criticae historicae species tali assertioni competat melius forsan perspicient illi, qui suprahumanam cognitionem Christo, hocque non consequenter ad textuum examen sed antecedenter ad illud, ex dogmatico naturalismo denegant! Et aeque arbitraria est assertio A. Loisy statuentis nullum in synopticis prostare nostra in materia textum formaliter retentum ut logion Domini : tales quippe textus dantur plures (3). Magis scientifice jam procedunt illi, qui cum Joh. Weiss, quaestionis nostrae aspectum littera-

(1) Marc. IX, 31 (Vulg. 30) = Matth. XVII, 21 = Luc. IX, 44; Marc. X, 33 = Matth. XX, 18 = Luc. XVIII, 31; Marc. XIV, 21 = Matth. XXVI, 24 = Luc. XXII, 22; Marc. XII, 8 = Matth. XXI, 39 = Luc. XX, 15, etc. Cfr Hollmann, *O. c.*, p. 29.

(2) *L. c.*

(3) Dicit A. Nouvelle, *L'authenticité du quatrième évangile et la thèse de M. Loisy*, Paris, 1905, p. 78 : « Prenons les textes auxquels M. Loisy fait allusion : Et Jésus commença à montrer à ses disciples, qu'il fallait que le Fils de l'homme souffrît beaucoup etc. Les trois Synoptiques nous rapportent cet enseignement presque terme pour terme (Matth. XVI, 21; Marc. VIII, 31; Luc. IX, 22)... Et parce que l'annonce de la Passion et de la Résurrection est rapportée en style indirect, on ose dire qu'il n'y apparait aucune sentence formelle du Seigneur! Mais peu après Jésus renouvelle la même annonce, et cette fois en termes directs : Tandis qu'ils parcouraient la Galilée, Jésus leur dit (Matth. XVII, 21) : Le Fils de l'homme doit être livré aux mains des hommes etc. Il en est absolument de même tandis que Jésus et ses disciples montent à Jérusalem (Matth. XX, 17-19; Marc. X, 32-34). Haec posterior consideratio est exacta, prior vero non est ad rem.

rium spectantes, varias prophetias et signanter Marc. X, 33; XIV, 41 et Luc. XVIII, 32 unius ejusdemque logii, Lucae IX, 44 contenti, duplicata esse asseverant. Ob instabilem enim quem in orali catechesi logia tenuerunt locum, necnon ex litteraria evangeliorum indole, fieri potest et quandoque fit ut quaedam Domini verba extra proprium suum contextum versentur aut etiam pluries referantur. Attamen quod tenere non gravaremur, in praesenti casu admittere non cogimur. Praedictio enim Luc. IX, 44 = Matth. XVII, 21 = Marc. IX, 30 a reliquis clarissime distinguitur, tum per brevitatem suam, tum per absentiam indicationis loci et causae efficientis suae mortis; adeoque de cognatione litteraria, qua eidem subsequentes praedictiones colligarentur, non constat (1).

*
* *

3. Superest itaque ut argumenta, quibus adversarii historicam circa passionem traditionem adulteratam esse conficiant, critice experiamur. Enumerantur quatuor praecipua : 1° necessitas divina, quam fundat vox δεῖ, cui Christi sors subjacere dicitur : haec enim paulinismum sapit; 2° allegoria vinitorum nequam (Marc. XII, 1-12 et parall.), quam critica interna posteriori tempore adinventam demonstrat; 3° retractatio in pericopen quae gladios spectat introducta (Luc. XXII, 36 sq.) (2); 4° tandem genuinus sensus orationis a Christo in olivarum horto dictae et clamoris ipsius in cruce editi : Deus mi, ut quid dereliquisti me!

I. A quo mortem suam Jesus praevidit, psychologica, etiam independenter a conscientia, qua se ebed-Jahveh noverat, ipsi fuit necessitas ad hanc saepe attendere. Ubi zelo missionis suae ad finem perducendae exclamat : Baptismo habeo baptizari et quomodo coarctor usquedum perficiatur! (3); ubi alios invitat

(1) Cfr Th. Zahn, *Das Evangelium des Matthäus*, p. 560 sq., 600 sq., Leipzig, 1903.

(2) Hanc difficultatem supra jam solvimus.

(3) Luc. XII, 49-50. Cfr Babut, *La pensée de Jésus sur sa mort*, p. 96 sq., Paris, 1897; R. A. Hoffmann, *Das Marcus evangelium und seine Quellen*, p. 436, Königsberg, 1904.

ut, crucem assumentes, ipsum sequantur; ubi ipsi in domo Simonis inuncto oboritur imago corporis sui demortui et in sepulturam ungendi (1), circa sortem suam se mente praeoccupatum exhibet. Insuper ad sortis suae caracterem religiosum non attendere non potuit. Ut enim taceamus mysterium illud, quod ipsum certe fugere non potuit, ignominiosam mortem ipsi insonti inflictum iri, conscientia messianitatis ab una parte, et praevisio exitus sui ita se invicem compenetrare debuerunt, ut sola ratione duce, mortem suam ut munus messianicum considerareret. Cum hac autem idea necessitas divina, quam fundat vox δεῖ ipso facto explicatur : paulinismi influxus itaque ex eo capite demonstrari nequit.

II. *Allegoria vinitorum infidelium.*

Paucis ante exitum suum diebus, nimirum in parabola de vinea elocata agricolis qui patris familias filium occidunt, apud tres synopticos relata (Marc. XII, 1-12; Matth. XXI, 33-46; Luc. XX, 9-19) Dominus mortem suam tamquam activitatis suae messianicae culmen et oeconomiae supernaturalis fundamentum exhibuit. Specialis quidem theoria soteriologica in dicta parabola non continetur; attamen quum lapis rejectus in lapidem angularem constituendus, et ipsa rejectio a Deo praeordinata et a Christo praevisa referantur, apud eamdem paululum sistere operae videtur pretium. Quod quidem eo magis necessarium est quod plures critici ut H. J. Holtzmann (2), A. Jülicher (3), A. Loisy (4), O. Pfleiderer (5), rati narrationem evangelicam a primitiva communitate esse tendentiose retractatam aut etiam penitus adinventam esse, ad eamdem parabolam se conferant, tamquam quae primos christianos Christi mortem ope Scripturarum sibi interpretatos esse et justificasse, suaque placita in ipsius Christi ore reposuisse, demonstraret.

(1) Marc. XIV, 3 *et parall.*

(2) *Lehrbuch der neutestamentlichen Theologie,* I, p. 366 sq. Freiburg und Leipzig, 1897.

(3) *Die Gleichnisreden Jesu,* II, p. 405 sq. Freiburg, 1899.

(4) *Etudes évangéliques,* p. 51 sq. Paris, 1902.

(5) *Das Urchristentum, seine Schriften und Lehren,* I, p. 375. Berlin, 1902.

Suspicionem repellere non possum, ait A. Jülicher, quod παραβολή Marc. XII, 1-9 alicui primae generationis adscribenda sit fideli, qui juxta thema Isaiae V et parabolarum Jesu allegorico sensu intellectarum, magistri mortem, quam sub aspectu religioso sibi justificare intenderit, inter praeconia salutis a Deo populo infideli missa tamquam supremum patientiae divinae conamen, post quod punitio immediate subsequetur, inseruerit. Continet enim reliogiosam historiae philosophiam, qualem habere debuit fidelis qui Domini crucifixioni adstiterat, huncque nihilominus ut Filium Dei habuit; quivis color primitivus, quivis psychologiae profundioris sensus, quivis accentus poeticus desiderantur; imo auditores parabolam intellexisse dicuntur, adeo ut Jesu machinentur mortem illi ipsi quibus haec impietas objiciebatur! Authenticam Domini parabolam circa vinitores nequam, cujus vestigia praeprimis ex Marc. XII, 1, 9 et Matth. XXI, 43 colligi possent, exstitisse possibile quidem est; hanc tamen ideo reconstituere non possumus quia Marcus, qui solus est reconstitutionis fons possibilis, primitivae aetatis theologiam jam redolet; verba quippe : « hic est haeres » ab hierarchis de Christo numquam prolata sunt. Itaque non ipse Jesus, sed primae generationis christianus Marc. XII, 1-12 loqui videtur.

Examinis ab A. Loisy summa certe cum perspicacia nostram circa parabolam instituti, conclusiones sunt sequentes. 1° Expositum Marc. XII, 1-12 thema, non parabolae sed allegoriae caracterem prae se fert : dum enim sensu spirituali intellectum consistit, ad litteram auditum verisimilitudinis defectu peccaret nimis. Vineae proprietarius Deus est, vinea Israelem figurat, servi missi prophetas indicant, novissime missus filius dilectus ipse Jesus intelligitur, agricolarum punitio Judaeorum punitionem designat, prophetia tandem de petra rejecta, Christi per resurrectionem glorificationi applicatur. 2° Tali autem allegoriae sensus non competit nisi theoreticus et theologicus : Jesum intentionem habuisse, non quidem Judaeos ad resipiscentiam vocandi, sed suam circa divina consilia cognitionem manifestandi supponitur; quod a personae viventis et agentis caractere longe discedit. 3° Mirationem etiam movet, Christi sermonem audi-

toribus perpetrandi criminis, cujus sequelae modo indicatae fuerant, ansam praebuisse. Etenim relata allegoria pro auditoribus vix intelligibilis fuisset; dicunt quidem hagiographi Judaeos tantum intellexisse Christi sermonem contra ipsos prolatum esse : verum ira qua commoti exhibentur, eosdem allegoriae sensum rite assecutos esse, supponit. 4° Mirationem etiam movere deberet, supposita genuinitate Marci XII, 1 sq., causae Domini examen, coram pontifice factum, fuisse adeo laboriosum, quum coram tot testibus se Dei Filium proclamasset. Addatur tandem 5° quod etiamnum originem et primitivum nostrae allegoriae munus probabili saltem conjectura assequi valeamus : « Le passage d'Isaie, sic A. Loisy (1), qui est imité dans le commencement, était connu des premiers chrétiens et s'entendait comme une prophétie de la réprobation d'Israel; la vigne comme élément de parabole authentique se rencontrait dans la parabole des Ouvriers et dans celle du Figuier. Ces deux paraboles ayant été de bonne heure interprétées allégoriquement, il était facile d'établir sur le thème de la vigne, avec Isaie, l'envoi des serviteurs dans le Festin, les faits accomplis et les textes du psaume (CXVII) le tableau apocalyptique inséré dans la prédication hiérosolymitaine de Jésus ».

* * *

Quibus dijudicandis, intimum orationis Christo adscriptae caracterem determinare, visuri sitne agnoscenda ipsi parabolae an allegoriae ratio, aggredimur.

1. Vineam pastinavit homo (2), eamque defensionibus et instrumentis, quae ad vini industriam adhiberi solita sunt, instruxit; quo peracto, vineam suam non nummo sed partibus locavit agricolis, et profectus est. Tempore vindemiae, ut juxta contractus locationis rationem fructuum partem acciperet, tres successivas legationes ad partiarios suos deputat. Qui non tantum debitam proprietario partem tradere recusarunt, sed in die audaciores et erga legatos crudeliores se praebuerunt. Depre-

(1) *L. c.*, p. 53.
(2) Cfr. Chr. Bugge, *Die Haupt-Parabeln Jesu*, p. 286 sq. Giessen, 1903.

henditur enim in ipsorum malitia gradatio ascendens, varia tamen ratione ab hagiographis indigitata. Apud Marcum XII, 2 sq. partiariorum malitia increscere describitur sic quod primum servum simpliciter caedant, secundum in capite vulnerent, tertium et socios aut occidant aut caedant. Apud Lucam autem XX, 10 sq. primum servum caedunt, pro secundo virgis contumeliam addunt, tertium vulneratum ejiciunt (τραυματίσαντες ἐξέβαλον); Matthaeus tandem XXI, 34 sq. agricolarum audaciae incrementum non tantum in indole malorum deputatis inflictorum, sed et in horum qualitate collocat : vox enim πλείονας posterioris deputationis servos altioris praecedentibus fuisse conditionis denotat.

Colligendis fructibus suis, proprietarius tandem filium suum carissimum deputat, ratus hunc saltem cum reverentia a locatoribus susceptum iri. Hi vero, tranquillam possessionem imo et proprietatem vineae sibi assecuraturi, haeredem interficere statuunt. Cujus criminis perpetrationem evangelistae denuo ratione paulo diversa describunt : juxta Marc. XII, 8 filium prius occidunt, dein extra vineam ejiciunt; juxta Matth. XXI, 39 et Luc. XX, 15 eumdem prius ex vinea expellunt, dein necant. Cujus differentiae specialis ratio non videtur quaerenda. Lassata sic patientia proprietarii, hic potenti interventu agricolas nequam perdit, et aliis agricolis, qui juxta contractus tenorem, fructuum partem ipsi reddant, vineam suam elocat. Quam quidem agendi rationem, ex inaudita agricolarum nequitia abunde justificatam, Marc. XII, 10 et Luc. XX, 15 sq. simpliciter referunt ut responsionem quam sibimetipsi Jesus fecerit ad quaestionem : Quid ergo faciet dominus vineae? Matth. vero eamdem quaestionum ad principes sacerdotum et seniores populi directam refert XXI, 23, 41; qui reponunt infideles puniendos, vineam autem fidelioribus adjudicandam esse.

Quibus expositis rogat Jesus, Marc. XII, 10 : Nec Scripturam hanc legistis : Lapidem quem reprobaverunt aedificantes, hic factus est in caput anguli? A Domino factum est istud et mirabile in oculis nostris. Prolata verba citationem ex psalmo CXVII constituunt et Messiae personam, qui in fabulae vel allegoriae expositione sub figura filii carissimi figurabatur, immediate

spectant. Messias itaque a principibus populi Israel reprobatus et necatus, a Jahveh in angularem oeconomiae religiosae lapidem constituendus asseritur. Adstantes principes sacerdotum, orationem Domini contra ipsos dirigi intelligentes, hunc tenere volebant : quod quum ob timorem plebis perpetrare impedirentur, abierunt.

2. Exposito themati caracterem competere non parabolae sed allegoriae, eo nimirum sensu quo haec vocabula apud nos sumi consueverunt, demonstratione non indiget (1). Exsurgit autem quaestio utrum ex hoc solo capite a Christo sit abjudicandum. Per quinquennium nuper elapsum allegoricam praedicationis Domini indolem controversiae nondum solutae objectum constituerunt : allegoriam in genuinis Domini sermonibus non prostare locupletissimae eruditionis apparatu propugnarunt A. Jülicher et A. Loisy, quibus favent auctores non pauci ut H. J. Holtzmann, Weinel, Wrede, Goetz; eamdem a Christo non raro usurpatam esse tuitus est Ch. Bugge cui adstipulantur Lagrange, Feine et Baldensperger. Verum, ut ipse A. Jülicher fatetur, etiamsi in reliqua sua praedicatione Jesus genus parabolicum adhibuerit, quum confici nequeat eumdem saltem unica vice allegoria uti non potuisse, stringens argumentum ex eo capite contra nostrae allegoriae, quae vinitores nequam spectat, authentiam, desumi nequit (2).

(1) Bene dicit A. Loisy, *l. c.* « On ne conçoit pas qu'un propriétaire assez puissant pour exterminer sans autre forme de procès, les ouvriers qui ont sa vigne en location, laisse tuer l'un après l'autre ses serviteurs et qu'il envoie même après eux son fils pour le faire tuer aussi ».

(2) Quia tamen praesumptio quaedam contra nostrae allegoriae authenticitatem oriretur, si huic soli inter omnes Domini parabolas genuinas indoles allegorica competat, controversiam recenter agitatam summis saltem capitibus exponamus oportet.

I. Problema disputatum huc redit : praeter orationes numerosas quae formam *parabolae* stricte dictae prae se ferunt, id est quae ope unius vel plurium *comparationum aut fabularum* aliquam veritatem ordinis moralis in lucem ponunt, hagiographi in ore Domini reponunt sermones quosdam *allegoricos* quibus ope *persistentis metaphorae* sensus exprimitur diversus a sensu quem littera exhibet. Generis parabolici et allegorici diversitatem sensibilem reddere possumus in ipso nostro themate

Ad examen itaque internum conversi, perprius fontes, quibuscum nostra allegoria cognata apparet, inquiramus oportet.

quod spectat vinitores nequam : sensu litterali auditum, constitueret fabulam seu parabolam quamdam, cujus *sola conclusio* ad doctrinam intentam referret; allegorice autem intellectum sub figura proprietarii vineae, servorum, et haeredis metaphorice quidem sed *directe* Deus, prophetae et Christus agere intelliguntur. Modus docendi parabolicus est in se clarissimus, adeoque psychologiae populi ignari aptatissimus; e contra sensus allegoricus, utpote sub metaphoris obvelatus, obscurus et captu difficilis est. Nunc autem hagiographi testantur Christum illud genus litterarium, quod adhibuit, selegisse, ab una parte ut Judaei traditam doctrinam facilius caperent (Marc. IV, 33), ab altera, ut Judaei eamdem non caperent et obcaecarentur (Marc. IV, 11 sq.). Quae duae assertiones sic obvie intelligendae videntur ut altera parabolas, altera allegorias spectare dicatur.

II. *A*. Jamvero A. Jülicher et A. Loisy propugnant Christum nonnisi per parabolas docuisse et sermones allegoricos, in fontibus evangelicis obvios, esse ab ipso Domino adjudicandos, adeoque evangelistarum assertionem, allegoriae figuram obdurandi Judaeos causa assumptam esse, non esse historicam. Muniunt se sequentibus rationibus : 1) examinis interni circa parabolas instituti conclusio sic sonat : demptis quibusdam glossematibus interpretativis, reperiuntur in synopticis duae parabolae quibus adnectitur interpretatio adaequata perinde ac si essent allegoriae, id est parabola seminantis seu satoris (Marc. IV, 13-20; Matth. XIII, 18-23; Luc. VIII, 11-15) et zizaniae (Matth. XIII, 24); habetur et tertia, quae spectat rete piscium (Matth. XIII, 47-48) in qua explicatio allegorica ipsi narrationi adjungitur; tandem in parabolis vinitorum nequam et sponsi auferendi (Marc. II, 19-20) sensus allegorius ipsi narrationi inhaeret. Jamvero in dictis parabolis sensum allegoricum posteriori reflexioni et retractationi adscribendum esse haud difficulter demonstratur. Argumenta quibus judicio A. Jülicher et A. Loisy id demonstratur, quantum attinet parabolam vinitorum nequam supra jam tradidimus; illa quibus idem conficiunt circa parabolam sponsi auferendi mox infra exponenda occurrent. Sententiam suam muniunt, quod spectat parabolam seminantis, hisce considerationibus : 1° Primitivus et genuinus hujusce parabolae doctrina huc redit : sicut, quando seritur frumentum, pars seminis fructum non producit, sive quia a volucribus coeli comeditur, sive quia postquam germinavit, ardoribus solis aestuatur, sive quia ante maturitatem suffocatur, et alia pars variam fructus copiam affert, ita verbum evangelicum apud plures fructum non facit, sive quia auditum non retinetur, sive quia affectus quem producit mox evanescit, apud quosdam citius, apud alios tardius juxta adjuncta, et

Et statim oculos incurrit eamdem cum Isaiae V, 1 sq. substantialiter concordare. Enarrat nimirum propheta amicum

apud solos bonae voluntatis homines fructum abundantem et varium operatur. Jamvero 2° juxta hagiographos, expositum thema sensu allegorico intelligendum est, et doctrina intenta nimium verbum Dei apud plures effectu frustrari sive ex artificio diaboli, sive ex defectu animi in persecutione, sive ex immoderato bonorum terrestrium studio, non per viam conclusionis sed directe sub expositis metaphoris agnoscenda est. Quae interpretatio saltem apud duos priores synopticos introducta est in finem explicandi quomodo quidam fideles deficiant et christianam communitatem deserant, nec ante constitutas jam communitates vigentesque, saltem a parte Judaeorum, persecutiones, adinveniri potuit. Et hinc est quod ipsa persona satoris quasi negligitur hinc, et nimia inconcinnitas qua semen nunc verbum Dei, nunc ipsos homines figurat. Adjuncta ergo ab hagiographo interpretatio, tamquam posterioris reflexionis productum se exhibet. Cfr. Loisy, *o. c.*, 43-47; Jülicher, *o. c.*, II, p. 536 sq. In similitudine *zizaniae*, ait Loisy, *o. c.*, p. 47 interpretatio ipsi narrationi ita adjungitur ut ex ea deduci posset : ipsa quippe similitudo ad allegoricum genus pertinet; cujus auctor rerum statum qui tantum in primis communitatibus, post elapsum notabile praedicationis apostolicae tempus obtinuit, considerat. Hagiographus itaque et parabolam et ejusdem explicationem proprio marte adinvenit, vel exactius juxta authenticam Christi comparationem construxit. Simili modo retractavit et parabolam *retis piscium*. Haec enim primitus erat mera piscationis, prout institui solet, descriptio; doctrina intenta haec erat : sicut missum et piscibus impletum rete trahitur et dein a piscatoribus selectio bonorum piscium eorumque a malis separatio instituitur, ita in regno coelorum, separatio bonorum hominum a malis non immediate sed tantum post congregatam magnam hominum copîam instituetur. Jam autem Matthaeus haec allegorico sensu audivit et directe sub figura bonorum et malorum piscium christianos, sub metaphora retis et maris Ecclesiam et mundum perspexit. — Elementa itaque allegorica, quae in parabolis Christi reperiuntur, adventitia sunt. Quod quidem 2) ulterius confirmatur ex incohaerentia explicationum quas tradunt hagiographi circa finem quem Dominus, parabolicum genus seligens, sibi praestituerit. Ab una quidem parte, asserunt Jesum Judaeis locutum esse « prout capere poterant » hosque « in sermonibus et doctrina ipsius miratos esse » (Marc. IV, 24; XI, 18; Matth. XX, 33); ab altera, dicunt Jesum turbis in parabolis locutum esse « ut non intelligerent » et seorsim discipulis parabolarum sensum aperuisse : quae assertio in ore ipsius Christi reponitur, exque Isaiae citatione justificatur. Porro, haec posterior explicatio in se valde improbabilis, in contextum jam formatum modo

suum vineam in terra fertili cum industria et sollicitudine coluisse, hanc autem non uvas sed labruscas fecisse. Quam ob ingratitudinem, vinea destruenda praedicitur : sepe orbata, conculcabitur, vepres et spinae eam invadent, et nubes ne eamdem irrigent, jubebuntur. Ut autem ipse propheta V, 7 sq. explicat, vinea Domini exercituum domus Israel est, et populus Juda plantatio ipsius dilecta; qui quum ob beneficia accepta ut populum innocuum et sanctitate praeclarum se gerere debuerint, peccatis suis et injustitiis involvuntur. Nostrae allegoriae auctorem propheticum illud poema prae oculis habuisse, apud omnes exegetas in confesso est. Ex scopo speciali tamen quem Christus

satis devio introducta apparet; estque posterioris aetatatis speculationibus adscribenda. Cfr. LOISY, *o. c.*, p. 71 sq.; JÜLICHER, *o. c.*, p. 118 sq.

B. CHR. BUGGE omnium generatim parabolarum et allegoriarum contra has impugnationes vindicaturus, inter plura alia haec observat : Generis litterarii, quod Jesus obvie usurpare debuit non juxta mores graecos et conceptum quem Aristoteles parabolae et allegoriae statuit, sed juxta Judaeorum et praecipue prophetarum consuetudines litterarias determinari debet. Jam autem, apud Judaeos similitudines sive « Meschalim » quandoque clara et perspicua applicatione per viam *conclusionis* doctrinam fundabant; quandoque *sub ipsius similitudinis adhibitae metaphoris* aliquam veritatem exprimebant : in priori casu habebatur *parabola demonstrativa,* in posteriori, *allegoria illustrativa.* Nunc autem Jesum quandoque posterius illud genus coluisse, demonstratur : 1) ex locutionibus, ipsius paradoxum redolentibus, quae numerantur sexdecim (*o. c.*, p. 15 sq.). 2) Optime intelligitur ipsum allegoricum genus tradendae circa regnum coelorum doctrinae a Domino assumptum fuisse; huncque sibi hac in re duplicem praestituisse finem. Conceptus enim Christi circa Messiam et regnum ejus, a placitis apud Judaeos vulgatis toto coelo distabat : hinc regni messianici adventum praedicaturus, aenigmaticis meschalim usus est. Ob carnales et materiales ideas suas itaque, exclusi sunt Judaei a vera doctrina : quod juxta determinismum semiticum per Isaïae citationem ita exprimitur ut allegoriae a Jesu adhibitae asserantur « Judaeos obdurandi causa ». Discipulis vero instruendis, intimus similitudinum sensus fuit aperiendus. Tandem 3) specialia quibus adversarii posteriorem retractationem conficiant, judicio cadunt.

Et haec quidem exposuisse sufficiat ut appareat novam theoriam ab A. Jülicher et A. Loisy adinventam inter certas criticae conclusiones numerari non posse. Speciale vero ejusdem examen instituere, hujus loci non est. Cfr. LAGRANGE, *Revue biblique,* nouv. sér. I (1904), p. 108 sq.

vel qui ejus loco loquitur prosecutus est, sat notabiles modificationes in narratione prophetica introductae apparent. Quum enim apud Isaiam vinea ipsum populum Israel, ob ingratitudinem suam a Jahveh derelictum et ab extranea dominatione oppressum figuraret, in ore Christi, contra principes populi arguentis, sensu paululum latiori oeconomiam religiosam seu bonorum religiosorum dispensationem metaphorice exprimit. Quo posito, etiam servi, quos vineae dominus fructus colligendi gratia legat, connaturalem in allegoria nostra locum obtinent. Vineae enim, ut oeconomiae salutis symboli, fructus sunt bona supernaturalia, fidelis legis observatio et poenitentia, quibus procurandis prophetae dum allaborarent, caesi aut etiam interfecti sunt (Jerem. X, 1-2; XXXVII, 15; XXXVIII, 6; I Reg. XXII, 24; XVIII, 4; XIX, 10; 2 Chron. XXIV, 2). Marcum et Lucam pro variis prophetarum legationibus nonnisi increscentem Judaeorum crudelitatem intendere videntur; de Matthaeo vero disputatur utrum necne, vocabulo πλείονας ad Joannem Baptistam alludat. Responsionem affirmativam, quam tuetur Ch. Bugge (1), probabilem reddunt tum medius quem, prophetas V. T. inter et Christum, praecursor tenet locus, tum eminens ipsius prophetica dignitas, quam et Christus agnovit (Matth. XI, 10 sq.), tum circumstantia haec, quod in colloquio, ad quod allegoria nostra pertinet, de Joanne Baptista mentio facta jam fuerit (XXI, 25).

Filium dilectum cum ipso Christo identificari manifestum est. Duces Israelis, suam auctoritatem abdicare nolentes, et simul rati hanc ruinam facturam esse, si Domini messianitas agnoscatur, mortem ipsi machinati sunt et intulerunt. Cujus criminis, quod ex parte omnipotentis domini seu Dei impunitum dimitti nequit, effectus est quod oeconomiae supernaturalis administratio aliis committatur vinitoribus, ipseque Messias tamquam ordinis supernaturalis fundamentum constituatur.

Descripta allegoria itaque cum parabola Isaiae intime connexa apparet Jam autem Christum vineam sterilem tamquam

(1) *O. c.*, p. 293 sq..

ingratitudinis populi et ducum ipsius symbolum quandoque assumpsisse, etiam independenter ab oratione de qua sermo, jure sustineri potest Apud Lucam XIII, 6 sq. traditur a Christo parabola arboris fici in vinea plantatae, per tres annos sterilis, cui, ob intercessionem cultoris vineae, fructibus producendis unus adhuc conceditur annus : quo peracto, ficus succidetur. Cui parabolae sensus allegoricus indubie est agnoscendus : vineae dominus Deus, et vineae cultor Christus intelliguntur. Tres anni, per quos ficulnea sterilis remansit, tres ministerii publici Domini annos, ut opinatur A. Réville (1), vel exactius, ut censet Th. Zahn (2), unum praedicationis Baptistae annum et duos priores activitatis publicae Jesu annos significant : etiam Baptista necessitatem poenitentiae fructus faciendi proclamaverat; cui succedens Messias, eamdem praedicationem reassumpserat, et eo momento quo allegoricam suam monitionem tradidit — quod Th. Zahn cum tabernaculorum festo ferme coincidere reputat — per duos jam annos munus suum publice exercuerat; morali Israelis conversioni procurandae incumbet per unum adhuc annum, ad cujus finem Israel succidetur, id est irrevocabiliter rejicietur.

3. Quibus positis, rationum quibus traditam doctrinam a Christo removere nituntur valorem, critice jam determinemus. Quum integrae allegoriae sensum in se optime consistentem monstraverimus, consequitur ex ipso ipsius tenore nullam difficultatem oboriri posse. Et revera, quod Jesus definitivam ducum Israel rejectionem proclamaturus, grave allegoriae genus et symbolum quo Isaias similem veritatem expresserat, quoque ipse eamdem veritatem jam tradiderat assumpserit; quod ad exprimendam summorum sacerdotum et seniorum populi suasionem, qua sciebant suam dominationem, si Jesus ut Messias agnosceretur, ruinam facturam esse, haec ipsis adscripserit verba : « Hic est haeres, venite et occidamus illum et nostra erit haereditas (Marc. XII, 7) » etsi sub eo tenore ab ipsis non fuerint prolata, nemo sane mirabitur.

(1) *Jésus de Nazareth*, II, p. 231. Paris, 1897.
(2) *Einleitung in das Neue Testament*, II, p. 245 sq. Leizig, 1900.

Solae itaque difficultates quae ex contextu vel ex aliis Scripturae locis desumuntur solvendae supersunt. Tales autem ab A. Loisy in medium afferuntur duae : « posita hujusce allegoriae genuinitate, ait doctus exegeta, mirationem movere deberet tum quod praesens sermo, pro auditoribus vix intelligibilis, ipsis tamen perpetrandi criminis, cujus sequelae describuntur, ansam praebuerit; tum quod causae Domini instructio, coram pontifice facta, tam laboriosa fuerit, quum tamen coram multis testibus Dei Filium se proclamasset. Verum, quantum videmus, duae assertiones prolatae haud bene inter se cohaerent : etenim, si doctrina Domini adeo obscura est ut auditores eam nonnisi peraegre capere potuissent, optime intelligitur eamdem in argumentum contra Messiam invocatam non esse. Revera, sive ab auditoribus fuerit rite intellecta sive non, allegorica ipsius indoles, quominus ex ea claram messianitatis suae proclamationem, quam Christus fecerit, colligerent, certe praepediebat.

Nec solidior apparet altera consideratio, qua asseritur ipsam criminis praedictionem criminis executionem provocasse. Summi sacerdotes Christum necare jamdudum statuerant : sic, testibus Marco XI, 15 sq. = Matth. XXI, 12 sq. post vendentium et ementium ex templo ejectionem, quomodo Jesum perderent jam quaesierant. Pari modo, post auditam vinitorum nequam allegoriam, quam contra se prolatam noverunt, intentionem suam antecedenter jam habitam, Dominum occidendi, manifestant, utque eam executioni mandarent, apud Pharisaeos et Herodianos auxilium quaesierunt. Ceterum, etiamsi pragmatismus aliquis historicus hac in re adesse demonstraretur, exinde ipsa allegoriae authentia labefactari nequit, ut per se liquet.

4. Longioris jam hujusce disquisitionis sit itaque conclusio haec : allegoria vinitorum nequam inter authentica doctrinae Christi documenta recenseri debet; Christum mortem suam tamquam oeconomiae supernaturalis fundamentum religiosum praecognovisse, ex ea luculenter colligitur.

*
* *

III. Circa ipsum Domini exitum duo momenta examinanda supersunt, nimirum ipsius agonia et assertio qua se a Deo dere-

lictum proclamavit. Volunt enim adversarii Jesum in olivarum horto Dei auxilium invocasse ut ab instanti persecutione liberaretur, et desperato animo suae causae a Deo derelictionem proclamasse.

1. In olivarum horto, peractum est psychologicum passionis mysterium. Quod, quum non possent penetrare, et nollent adorare, plures a Celso philosopho ad modernos rationalistas blasphemarunt, Jesum Socrate minorem proclamantes (1). Critice loquendo, hoc unum hac in materia asseri potest, Domini voluntatem, ut natura est, ab intenso passionis quem praegustavit dolore refugisse, ita tamen ut Patris voluntati perfecte subdita remaneret. Quod itaque Jesus Patrem calicis remotionem roget, vox est naturae, id est naturalis appetitus a naturali malo sponte abhorrentis; quodque huic petitioni restrictionem statim apponat « non tamen mea sed tua fiat voluntas! » vox est rationis, Deo perfecte conjunctae. Fuit itaque drama illud valde simile tentationi, quam initio sui ministerii Salvator superandam habuit : quod quidem ipse Lucas IV, 13 indicasse videtur, quum assereret diabolum, Christum in deserto victorem, usque ad tempus reliquisse. Ab una parte, Jesus fuit Messias, Filius Dei adeo ut juxta naturalem suam conditionem, jus haberet ad obsequia omnium, et legionem angelorum sui defendendi causa Patrem rogare potuerit (Matth. XXVI, 53); ab altera parte, munus suum soteriologicum perficiens, libere Patri obedivit : en duo momenta, quae agoniae tenebras aliqua luce collustrant. De pusillanimitate vero, sive de petitione reportandae contra advenientes inimicos victoriae, in eo qui Deo perfecte conjungitur et simul calicem mox bibendum esse cognoscit, minime agitur. Orationem certe protulit Dominus, sed illam quam hagiographi exauditam testantur, eo sensu quod angelus de coelo Jesum confortaturus descenderit.

2. Verba autem « Eli, Eli, lamma sabactani » (Matth. XXVII, 46 = Marc. XV, 34) a Salvatore in cruce pendente prolata, constituunt citationem psalmi XXII, 2 et ut talia sunt intelligenda. Nunc autem de litterali hujusce psalmi sensu, viget apud

(1) Cfr. J. Belser, *Die Geschichte des Leidens und Sterbens, der Auferstehung und Himmelfahrt des Herrn*, p. 254 sq. Freiburg, 1903.

modernos disputatio (1) : dum enim catholici ferme omnes illum proprie et stricte messianicum esse propugnant, rationalistae eumdem tamquam communitatem Israel, sive ipsum psalmistam respicientem intelligunt. Juxta priorem interpretationem dicetur, Jesum, quem dolores torquebant et inimici irridebant, quique praecise illis calamitatibus, quae a psalmista graphice describuntur, premebatur, significasse propheticum vaticinium jam compleri. Sed et apud alterius interpretationis patronos, nullam desperationis ideam ex Domini clamore colligi posse in confesso sit oportet. Etenim, praeterquam quod desperati suos sensus scripturisticis citationibus exprimere non soleant, quod Deum alloquendo Jesus dixerit « Deus *meus* », quodque mox spiritum suum in *Patris sui* manus commendet, quod poenitenti latroni paradisum polliceatur, quodque moriturus exclamaverit : consummatum est! Deum etiam in his supremis augustiis fuisse cum ipso conficiunt.

Imo quod Jesus se a Patre suo derelictum dicat, hancque derelictionem psalmi cum cantibus Isaiae intime connexi citatione exprimat vel justificet, sibi patienti munus quoddam speciale competere subindicat : ille qui peccatum non fecit, ab ipso Deo nonnisi ob expianda aliorum peccata, derelinqui potest. Quod rite inspiciens Brandt (2), ne soteriologicam Domini functionem agnoscere deberet, dictae citationis authentiam labefactare aggressus est. Non est verisimile, sic ille, Jesum prae dolore physico clamorem edentem, citationem fecisse; et mulieres crucifixioni et passioni a longe assistentes, prolata a Jesu verba audire non potuerunt. Quibus futilitatibus reponitur : 1° prioris rationis suppositum, id est clamorem a Christo moriente juxta Marc. XV, 37 prolatum, cum exclamatione ad quam nostra citatio refertur, identificari Marc. XV, 34, falsum est : haec duo enim optime inter se distingui, ex obvia evangelii lectione liquet; 2° posterioris rationis suppositum, scilicet cognitionem verborum Domini, citra mulierum testimonium, primitivae communitati innotescere non potuisse, demonstrari

(1) Cfr Lagrange, *Notes sur le Messianisme dans les Psaumes, Revue biblique,* Nouv. sér. II (1905), p. 50 sq.

(2) *O. c.,* p. 240 sq.

nequit; insuper ut scite observat G. Hollmann (1) locutio ἀπὸ μακρόθεν Marc. XV, 40 sensu relativo, ita ut verborum auditionem a mulieribus factam non excludat, intelligi potest. Tandem tota illa pericope indolem authenticitatis prae se fert et primitiva communitas talia verba quae primo saltem aspectu affirmare videntur Jesum a Deo fuisse derelictum (2), proprio marte numquam adinvenisset.

Suprema itaque Christi attestatio haec fuit : se pati et mori, quia Deus juxta arcana sua consilia per os prophetarum sic annuntiaverat!

§ 2. — *De praevisione et praedictione mortis Christi in priori ministerii ipsius parte.*

Ad examen secundae quaestionis, quae circa momentum a quo Jesus mortem suam praeviderit versatur, gressum facimus.

(1) *O. c.*, p. 66.

(2) Dicet lector curiosior : an et quanam ratione, fuitne Jesus moriens a Patre suo derelictus? I. Quidam auctores suspicati sunt Jesum orantis modo psalmi XXII (XXI juxta Vulg.) versum 1 alte voce, reliquos vero versus submissa voce recitasse. Quae sententia quavis verisimilitudine destituitur. II. A. Harnack, *Probleme in Texte der Leidensgeschichte Jesu*, in *Sitzungsberichte der Akademie der Wissenschaften zu Berlin*, 1901, p. 261 sq. ratus genuinam Marci lectionem in citatione : « θεός μου εἰς τι ἐγκατέλιπές με » habuisse loco ἐγκατέλιπες vocem ὠνείδισας (Dgr, Macarius Magnes, c, i, k) eamdem sic vertendam statuit : Deus mi, quare me approbriis affici permisisti (du hast zugelassen dass man mich schäht, mich der Schmach preisgegeben). Dubitamus hunc fuisse genuinum hagiographi textum, et certe argumenta quibus berolinensis historiographus id conficiat, infirma sunt; verum reputamus sensum ab ipso propositum, ab ipsius Christi mente non recedere. In psalmo XXII, 2 occurrens radix עזב et in aramaico שבק (inde σαβαχθανεί Marc. XV, 34 et Matth. XXVII, 46) haud raro = aliquem derelinquere in aliqua necessitate, id est ipsi non auxiliari. Jam autem psalmistam hunc sensum intendisse, ex contexta oratione manifestum est; statim enim subjungit : quare longe stas a salvatione mea... Tu tamen sanctus es... in te confisi sunt patres nostri et *liberasti eos*. Psalmistae sensum Jesus suum faciens, unice asserit itaque Dei Providentiam *externam specialem*, sibi defuisse. — Absone ergo loquuntur theologi illi qui Christi morientis a Deo derelictionem in ablata visione beatifica collocant.

Ut supra monebamus, a pluribus criticis dogmatis instar variis quidem viis defenditur Jesum in priori ministerii sui parte, mortem suam non praevidisse. Propugnant enim nonnulli eumdem ex primorum operum suorum successu ad mox adventurum regnum messianicum et gloriosam sui parousiam id est instantaneam in judicem potentem transmutationem concludisse. Joh. Weiss (1), hujusce eschatologicae conceptionis patronus praecipuus, postquam plura congessit argumenta, quibus eamdem confirmet, ad tempus, pro quo Dominus parousiam suam exspectaverit determinandum, hunc ferme in modum procedit : « Etsi logia explicita ex quibus hanc determinationem colligamus deficiant, generalis tamen primae praedicationis Jesu accentus, optimismus nempe, quem Baptistae pessimismus clariorem reddit, ipsum cum exitus sui praescientia ministerium ingressum esse, haud suadet. Insuper virtus attractiva quam in desperatos et perditos quoscumque exercuit, in hypothesi quod inde ab initio ad mortem se destinatum noverit, explicari non valet. Itaque primo saltem praedicationis suae tempore, instantem esse triumphum speraverit oportet. Quod quidem, via indirecta, ex prima quam apostolis constituit missione, jure colligitur. Hujusce enim missionis scopus hic fuit ut praedicationes multiplicarentur, et verbi divini semine plurium satorum industria, fundus maximus consereretur. Talis autem agendi ratio ex suasione quod tempus urgeat, regnique adventus proxime instet procedit ; quod ceteroquin speciales monitiones a Christo discipulis hujusce missionis gratia traditae egregie confirmant. His enim praescribitur, pro casu quo unum alterumve oppidum evangelium respueret, ut nullo conamine idem ad resipiscentiam ducendi facto, excussoque pulvere a pedibus suis statim in aliam urbem abeant. Quae praxis definita, quae duritiem erga peccatores continere videtur, inde praecise explicanda est quod non oporteat vires in ventum effundere apostolos, quum apud animas

(1) *Die Predigt Jesu vom Reiche Gottes,* p. 99² sq. Göttingen, 1900.

bene dispositas copiosos fructus obtinere possint. Christo itaque adventurae mox parousiae exspectationem adscribamus oportet. » Quam assertionem quidam exegetae ulterius confirmant in medium adducentes logion eschatologicum, quod juxta Matth. X, 23 occasione dictae missionis apostolis commissae Dominus protulerit : « *Non consummabitis civitates Israel donec veniat filius hominis.* »

Alia autem via procedunt H. Holtzmann (1) et G. Hollmann (2) cum aliis plurimis. Rati Dominum nonnisi via conjecturali ex crescente Pharisaeorum oppositione mortem ipsum manere auguratum esse, hancque conjecturam nonnisi versus finem ministerii in Galilaea peracti possibilem fuisse, praecedenti sententiae, quantum ad abjudicandam a Christo missionem inchoante exitus sui cognitionem adstipulantur. Non negant quidem imo ut plurimum propugnant, mortis vaticinia pro priori etiam vitae suae publicae periodo in ore Christi ab hagiographis reponi : talia in parabola sponsi auferendi (Marc. II, 18 sq. = Matth. IX, 14 sq.; Luc. V, 33 sq.) et in signo Jonae (Matth. XII, 38 sq.; Luc. XI, 29 sq.) deprehendi asserunt. Verum quum, ipsorum judicio, haec indubia posterioris retractationis indicia prae se ferant, et historicae Marci VIII, 31 indicationi contradicant, expositam sententiam nedum labefactent, potius confirmant (3).

Quae quum ita sint, per ordinem : 1) prioris praedicationis Domini tenorem determinare, 2) orationem qua apostolis prior ipsorum missio demandata est, analysi subjicere et tandem, 3) genuinum parabolae sponsi auferendi et signi Jonae indeque fluentes circa nostram quaestionem sequelas definire allaborabimus.

I. Postquam in baptismo Jesus laborem messianicum apud populum Israel inchoandum esse audivit, ad naturam sui mu-

(1) *Lehrbuch der neutestamentliche Theologie*, I, p. 285 sq. Freiburg, 1897.

(2) *Die Bedeutung des Todes Jesu*, p. 10 sq. Tübingen und Leipzig, 1901.

(3) W. Wrede, *Das Messiasgeheimnis in den Evangelien*, p. 19 sq. 89, 116. Göttingen, 1901.

neris necnon ad modum quo illud obeundum haberet animum non intendere non potuit. Duae quippe circa Messiam conceptiones obviae occurrebant : juxta alteram, in litteratura apocalyptica et apud Jesu coaetaneos magis vulgatam, Messias nonnisi dominatoris mundani gloria et victoris potentia adornatus putabatur; juxta alteram cum prophetarum vaticiniis intime cohaerentem, dies Jahveh id est omnium populorum paganorum punitio, ipsiusque Israel per tribulationes purificatio, eschatologicam restaurationem praecessura, ipseque Messias per passiones ad gloriosam dominationem perventurus censebantur.

Jam autem, Jesum hanc alteram conceptionem suam fecisse et ante regnum parousiae gloria illustrandum, persecutionum et dolorum periodum suis sibique exspectasse et praedixisse indubium est. Instanter enim et repetitis vicibus indigitat humiliationes illos qui ipsi adhaerere cupiunt exspectare, illisque suadet ut his quae possident immoderato studio non adhaereant sed renuntiare, ubi regni mox adventuri justitia exegerit, paratos se exhibeant. Imo ex hac ipsius scientia, qua generationem coaetaneam persecutionibus compressum iri cognovit factum est ut consilia moralia quae praedicavit, oratio « dominica » quam suis recitandam indixit et macharismi sermonis montani cum respectu ad eschatologicos dolores redacta reperiantur (1). Hinc et poenitentia praedicabatur ab ipso ut perfectio moralis, non tantum quae regni participationi obtinendae praevie requireretur, sed et quae nata esset Deum movere ut a populo suo mala amoveret eique dolores leniret.

Quod autem suis, illud idem id est persecutiones et humiliationes et sibi adventuras esse, Dominus in illa ministerii sui periodo quae proclamationem Cesaraeae Philippi habitam praecedit, praescivit. Omisso quidem etiam quod ex perspecta sui cum ebed-Jahveh identitate ignominiosam mortem sibi reservatam esse ex Deutero-Isaiae cantibus non inferre

(1) Textuum discussionem reperies apud A. Schweitzer, *Das Messianitäts- und Leidensgeheimnis*, p. 10 sq. Tübingen und Leipzig, 1901; et apud E. Cremer, *Die stellvertretende Bedeutung Jesu-Christi*, p. 41 sq., 87 sq. Gütersloh, 1900².

non potuit, humile ipsum sibi ministerium tamquam viam ad parousiam, ex tentationis narratione apud Lucam IV, 2 sq. et Matth. IV, 2 sq. servata, manifestum est (1). Sive enim

(1) J. Bovon, *Théologie du Nouveau Testament*, I, p. 260 (Lausanne, 1902), tentationis effectum hunc in modum describit : « Victorieux dans ce combat mémorable, Jésus voit le chemin qu'il faut suivre... Il a rompu en visière au prince de ce monde; aussi n'ignore-t-il pas que les grandeurs du siècle lui seront passionnément hostiles et que le terme de ce conflit opiniâtre sera pour lui l'ignominie et la mort. A la face du Tout-Puissant, il a renouvelé l'engagement de conquérir non par les armes de la chair mais au travers du sacrifice et de l'humiliation, la gloire que Dieu lui a promise ». — Quam doctrinam ab hagiographis intendi certum est. Verum non pauci auctores traditae a Luca et Matthaeo narrationis caracterem legendarium esse asserunt, exque ejusdem cum legendis sive iranicis, quae Zarathustram spectant, sive indianis quae Buddham respiciunt affinitatibus, conficiunt. « Nequam Ahriman, ait O. Pfleiderer, *Das Urchristentum, seine Schriften und Lehren*, Berlin, 1902, I, p. 420^2 sq., Zarathustrae, cui nullo successu mortem comminatus fuerat, hanc fecit propositionem : Bonae legi, quam observant adoratores Mazdae renuntia et acquires potestatem qualem habuit Zohak, populorum dominator. Cui Zarathustra : Bonae legi adoratorum Mazdae non renuntiabo, etsi corpus, vita et anima mihi deficerent. Verbum quod Mazda docuit, mihi optimum est propugnaculum. Et victus Ahriman, discessit. — Indiae legenda enarrat Buddhae, qui ascetica, juxta brahmanismi rigorem peracta poenitentia, vitae sanctitatem acquirere inchoaverat, Maram, concupiscentiae dominum apparuisse, et quo eum a poenitentiae studio abduceret, dixisse : prius vivere, puer; mortuus enim legem haud poteris addiscere. Postea, Buddham qui interim quatuor veritates soteriologicas adinvenerat, Mara successive horrendorum monstrorum exhibitione et carnalibus illecebris ad peccatum tentavit : deputatas autem ad hunc finem ipsius Marae filias, Gotama adducta citatione ex libro sacro Dhammapadan confudit. Supremo tandem conatu, Gotamam rogavit Mara ut ipsum tamquam dominum totius mundi agnosceret. Cui ille : Dominus concupiscentiae quum sis, nequis esse dominus lucis : me aspice; dominus sum legis et te invito summam cognitionem acquiram. Desperatus Mara potestatis suae finem instare agnoscit. Tunc omnia animalia, coelestiumque spirituum chori Buddhae obsequia sua praestiterunt. Cfr. Marc. I, 13 : eratque cum bestiis et angeli ministrabant ei. Juxta aliam vero legendam, Gotamae suadet Mara, ut pro soteriologico suo programmate, mundi gubernium accipiat. Cui Gotama : scio quidem regnum mihi praeparatum; mundanum vero illud esse non cupio. Volo fieri Buddha, ob quem mundi

illa quae Jesum inter et satanam in deserto evenisse enarrantur, sensu litterali ut diabolici praestigii opera, sive sensu meta-

gaudio exsultent. Post haec tentator Buddham ut umbra secutus est, visurus si forte deficeret. Pari modo dicit Lucas satanam Christum ad tempus reliquisse quod subindicet eumdem novos incursus fecisse ». Quam suam expositionem O. PFLEIDERER hunc in modum concludit : « Hisce omnibus legendariis tentationis descriptionibus, inter quas historica cognatio necessario admittenda non est, subest communis haec idea, redemptori maleficas potentias in propria persona superandas fuisse, priusquam alios redimere potuerit. Cfr etiam ejusdem auctoris opus : *Das Christusbild des urchristlichen Glaubens in religionsgeschichtlicher Beleuchtung,* p. 33 sq. Berlin, 1903. — H. GUNKEL, *Forschungen zur Religion des Alten und Neuen Testaments,* Bd. I, ht. 1 : *Zum religionsgeschichtlichen Verständnis des Neuen Testaments,* p. 70 (Göttingen, 1903) similem tuetur sententiam, dicens : « Mythologiam sapit quod (in narratione evangelica) activitas adscribatur diabolo; mythologicus est et mons elevatus a quo omnia regna eorumque gloria perspici possunt : est enim « mons coelestis ». Materia quae hic retractato tenore prostat, primitus fuerit bellum inter divinitates circa mundi imperium gestum. Habentur quidem parallelae narrationes mirae cum narratione evangelica similitudinis iranicae et indianae... Attamen narrationi neo-testamentariae proprius competit valor ex idea, quam primitiva communitas in genuinum tenorem introduxit : magica quippe signa quae Messiae fidem firmarent, ex eodem deleta sunt. — Dicti itaque auctores immediatam evangelicae narrationis respectu legendarum orientalium dependentiam non propugnant; verum ex communi harum omnium narrationum tendentia doctrinali, adjuncto etiam uno alterove descriptionis momento ad communem originem necnon et caracterem legendarium concludunt. Et in hoc separantur ab R. SEYDEL, *Das Evangelium von Jesu und seine Verhältnissen zu Buddha-sage und Buddha-lehre,* Leipzig, 1882 et A. LILLIE, *The influence of Buddhism on Primitive Christianity,* London, 1893, qui immediatam legendae circa Gotamam vulgatae in evangelicam descriptionem tuiti erant : quam sententiam posteriorem similitudinibus Lucam et Matthaeum inter et Latita Vistara multum exaggeratis aut imaginariis tamquam fundamento superstructam esse recenter stabilivit C. AIKEN, *Bouddhisme et Christianisme, ouvrage traduit de l'anglais par L. Collin,* Paris, 1904. — Remanet quidem satis mira narrationum similitudo. Quocirca observa : legendam paganam, puta deorum circa mundi imperium bellum, enarratae Jesu tentationi ad modum fontis inserviisse, nihil suadet, estque prorsus inverisimile. Ipsum jejunium Christi per quadraginta dies protractum, prototypum habet jejunium Moysi (Exod. XXXIV, 28) et Eliae (I, Reg.

phorico, tamquam realisticam psychologici dramatis expressionem habueris, Jesum Patris voluntati morem gessisse et pro gloriosi mundanique regis triumpho humilem conditionem, hanc quam divina Providentia sibi praedispositam novit, accepisse, apud omnes in confesso sit oportet. Primam tentationem, lapidem in panem convertendi, ab se abjicit Jesus adducta ex Deut. VIII, 3 responsione, « hominem non ex solo pane sed ex omni verbo ex ore Dei procedente vivere » id est Patrem, cujus Providentia Israeli in deserto non defuerat, ipsi esurienti, quo momento opportunum duxerit, auxiliaturum. Et simili modo mundi gubernio, quod juxta arcana Dei consilia sibi nondum accipiendum cognovit, renuntiavit, hancque suam voluntatem

XIX, 8) adscriptum. Prima tentatio conditioni Jesu descriptae perapte congruit : esurienti quippe pane opus est; insuper responsio qua Jesus diabolum vincit, nequit dici tendentiose introducta aut ex fonte pagano desumpta : desumpta quippe reperitur ex Deut. VIII, 3, in quo loco, philosophia religiosa circa Israelis in deserto commorationem continetur; eamque cum conditione Domini, qui in deserto pariter versatur, optime quadrare clarum est. Si secundam tentationem sensu spirituali interpretemur, adeoque evectionem Jesu ad montem excelsum ut figuram sermonis habeamus, apparebit erroneam esse assertionem Gunkel propugnantis sermonem hic esse de mythologico « monte coelesti ». Apud Ezech. VIII, 3, legitur : « Et emissa similitudo manus apprehendit me in cincinno capitis mei, et elevavit me Spiritus inter terram et coelum, et adduxit me in Jerusalem in visione Dei... » : porro, juxta hanc figurativam descriptionem curata videtur secundae tentationis narratio, et certe eamdem Jesu applicuit evangelium secundum Hebraeos, dicendo : « modo tulit me mater mea, Spiritus sanctus, in uno capillorum meorum in montem excelsum Thabor ». (Cfr. E. Preuschen, *Antilegomena. Die Reste der ausserканonischen Evangelien und urchristlichen Ueberlieferungen*, p. 4 sq. Giessen, 1901). Tandem tertia quidem tentatio Christi sat mire correspondet descriptae a Pfleiderer tentationi Gotamae : haec autem, sub eo quem exhibet Pfleiderer tenore non occurrit apud Buddhistas septentrionales, qui saeculo I aerae christianae, a coreligionnariis suis meridionalibus separati jam erant : hinc quaestio statim oboritur utrum legenda Buddhae circa tertiam tentationem juxta traditionem christianam efformata non sit. Unde contra historicitatem narrationis Lucanae IV, 4 sq. ex legendis Indiae argui nequit. Aspirationes ad redemptionem similes quasdam conceptiones in variis religionibus generare potuisse, explicat Nagel, *Das Problem der Erlösung*, Basel, 1901.

Patris voluntati conformem esse indigitavit, citando illud Deut. VI, 13 : « Dominum Deum tuum adorabis et illi soli servies ». Tandem ideam ut « a templi pinnaculo se deorsum mitteret » a spiritu nequam suggestam et textui scripturistico innixam, ut tentationem Dei in se habentem respuit Jesus, Patrisque arbitrio Messiae glorificationem reservandam statuit.

A quo autem, devicta tentatione, humile Dei servitium sibi selegit, illud obire non cessavit, et ut supra jam stabilivimus, sicut post confessionem Petri ita et ante eamdem ut ebed-Jahveh se gessit.

II. Qua vero ratione, oratio qua Christus Israelis evangelizationem apostolis commisit et in eadem occurrens logion eschatologicum (Matth. X, 23) cum expositis consentiant, investigandum superest. Plures exegetae, qui Jesu erronea verba adscribere horrebant quosque adducta loca torquebant, eadem sua vice varium in sensum detorserunt : a quorum interpretationibus aprioristicis — quas hic exponere nec vacat nec lubet — dissentientes, et ea qua par est methodo Christi sententiam investigantes, sequentes observationes statuimus.

Evangelii secundum Matthaeum redactor, sicut in quatuor aliis orationibus quas in ore Christi reposuit ita et hic (X, 1 sq.) plures sermones in diversis adjunctis prolatos in unum congessit. Quocirca genuinum ejusdem orationis sensum determinaturi, ad parallelam Marci VI, 7 sq. et Lucae IX, 1 sq. narrationem convertamur oportet. Porro examinis hac methodo instituti indubia conclusio haec est, primitivum dictae orationis tenorem a v. 1 ad 14 (c. X) se extendisse. Quod quidem ulterius confirmatur ex eo quod subsequentes versus 15 sq. a duobus posterioribus synopticis tamquam alia occasione prolati referantur : v. 15, ut eruitur ex Luca X, 12, historice missionem non apostolorum sed septuaginta duorum discipulorum spectavit; versus 17-22 ad magnam orationem eschatologicam quam Dominus paucis ante mortem suam diebus protulit, primitus pertinuisse dicendum est : etenim ad litteram ferme correspondent Marc. XIII, 9-13. Quod quidem eo sedulius observandum est quod haec altera orationis Matthaeanae pars cum priori non cohaereat : quum enim versu 5 sq. legamus : « *in viam gentium*

ne abieritis et in civitates Samaritanorum ne intraveritis sed ite potius ad oves quae perierunt domus Israel », versu 18 dicitur : « Et ad reges et praesides ducemini propter me in testimonium illis *et gentibus* ». Apparens autem antinomismus statim evanescit, si ponamus hoc posterius logion cum respectu ad definitivam missionem prolatum esse : et revera Marc. XIII, 10 legitur : « Et in omnes gentes primum oportet praedicari evangelium ».

Quibus positis concludimus : 1° ex oratione qua apostolis prima missio commissa est — ad quam orationem investigandam inservire possunt Marc. VI, 7-11; Matth. X, 1-14; Luc. IX, 1-5 — perperam infert Joh. Weiss Jesum initio ministerii sui regni gloriosi adventum instantem reputasse : de judicio enim super civitates mox exercendo, aut de fugiendo de una civitate in aliam, in eadem non agitur; excussio pulveris a sandaliis apostolicis, ut ex Marco VI, 11 = Luc. IX, 5 haud obscure colligitur, est tantum symbolum omnem cum incredulis et impuris societatem abrumpi indicans : est enim ritus ille, ut scite cum Lightfoot observat Knabenbauer, simplex allusio ad rabbinorum praecepta quibus pulverem excutere ii jubentur, qui ex gentilium regione revertuntur et ad montem templi ascendunt. Juxta haec itaque apostolis traduntur simplices et ordinariae monitiones, juxta quas munus suum obeuntes se dirigant : quaevis vero festinationis idea, quae proximam esse parousiam indigitaret, quaeque forsan ex hodierno Matthaei textu colligi posset, a genuino orationis Domini tenore, penitus abest.

Concludimus 2° morali certitudine constare famosum logion eschatologicum Matthaei X, 23 extra historicum suum contextum versari et primitus ad magnam orationem eschatologicam pertinuisse. Etenim contextum ipsius immediate praecedentem v. 17-22 ex dicta oratione desumptum probavimus; insuper Marc. XIII, 30 reperitur logion quod cum Matth. X, 23 substantialiter concordat, ita ut per leviorem retractationem unum in alterum transmutari potuerit; tandem idem logion (Matth. X, 23) in se spectatum non videtur prolatum ab illo qui apostolis temporaneum commisit munus, quo impleto, ad ipsum redeant, adeoque cum primae missionis fine non quadrat.

* * *

III. Textuum, in quibus tendentiosam historiae evangelicae retractationem agnoscunt, id est allegoriae sponsi auferendi et signi Jonae examen jam suscipimus.

1. *Allegoria sponsi auferendi* (Marc. II, 18-20; Matth. IX, 14-15; Luc. V, 33-35).

Evangelia synoptica colloquium quod Christus, post sanationem paralytici et vocationem Matthaei ad apostolatum, cum discipulis Joannis-Baptistae habuerit, unanimiter referunt. Dominus de motivo ob quod sui discipuli abstinerent a jejunio, quod sequaces Joannis et Pharisaeorum observabant interrogatus, hunc in modum respondisse traditur : « Numquid possunt filii nuptiarum, quamdiu sponsus cum ipsis est jejunare? Quanto tempore habent secum sponsum, non possunt jejunare. Venient autem dies cum auferetur ab eis sponsus, et tunc jejunabunt in illis diebus » (Marc. II, 19-20). Circa hanc responsionem observant exegetae magni nominis ut A. Jülicher (1), A. Loisy (2), O. Pfleiderer (3) et G. Hollmann (4) hodiernum ejusdem tenorem posterioris aetatis retractationem subiisse adeo ut simplex et obvia comparatio, quam primitus continuerit, in allegoricam mortis Domini praedictionem sit transmutata. Quam assertionem hunc in modum justificant. Pharisaeis, ait O. Pfleiderer, opponit Jesus responsionem ex speciali discipulorum suorum conditione deductam, hanc nimirum, jejunium hilari ipsorum animo non magis congruere quam luctus cum gaudiis filiorum thalami tempore nuptiarum quadrare possit. Verum simplicem hanc figuram in allegoriam convertit hagiographus, ipsum Jesum ut communitatis sponsum exhibendo, et juxta hanc identificationem addendo verba : venient autem dies, cum auferetur ab eis sponsus et tunc jejunabunt his ipsis diebus.

(1) *Die Gleichnisreden Jesu,* II, p. 178 sq. Tübingen und Leipzig, 1899.

(2) *Etudes évangéliques*, p. 43. Paris, 1902.

(3) *Das Urchristentum, seine Schriften und Lehren,* I, p. 342 sq.[2] Berlin, 1902.

(4) *Die Bedeutung des Todes Jesu,* p. 13 sq. Tübingen und Leipzig, 1901.

Qua interpretatione statuta, W. Wrede (1) ulterius propugnat evangelicam historiam in messianitatis et passionis Jesu materia adulteratam esse, et praesentem Marci II, 20 passionis praedictionem, ipsius doctrinae aliunde indubiae (VIII, 31, sq.) manifeste contradicere.

Quae dijudicaturi, genuinum nostrae pericope sensum, accurate determinemus oportet. Jam autem juxta versum 20 capitis II Marci ipsum Jesum ut sponsum praesignari apud omnes in confesso est. Insuper propheticum prolatae sententiae tonum ἐλεύσονται δὲ ἡμέραι, necnon passivam vocis ἀπαρθῇ formam, dolorosam sponsi a filiis nuptiarum id est Jesu a discipulis separationem indigitare cum P. Feine (2) contra Haupt (3) et De Visme (4) admittimus. Ab altera vero parte, clarum passionis vaticinium primo auditu ex textu nostro etiam a puero colligi, ut asserit Wrede, sustineri nequit. Nos quidem, qui cum cognitione eorum quae in Christo contigerunt, textuum interpretationem instituimus, verba Domini tamquam quae passionem respiciant audienda esse, facili negotio probamus; verum illi ad quos eadem directa sunt, mortem sibi Dominum vaticinari haud obvie concludere potuerunt. Quod quidem eo magis tenendum est, quod negari non possit prolatam Domini sententiam sub formam allegoriae id est persistentis metaphorae exhiberi. Inde a versu 19 hagiographus ipsum Jesum sponsum esse intellexit; quam identificationem tamquam fundamentum assertionis v. 20 expressae retinuit.

Exsurgit nunc quaestio utrum v, 19-20 eo quo nunc prostant tenore et sensu a Christo abjudicandi sint. Ob allegoricam suam unice indolem eadem recentiori aetati adscribenda esse, quod tueri videtur O. Pfleiderer, nonnisi per petitionem principii sustineri nequit. Etsi enim litterarium genus juxta quod Salvator doctrinam suam discipulis et Judaeis tradere consuevit parabolicum non allegoricum dicendum sit, nihil tamen probat

(1) *Das Messiasgeheimnis in den Evangelien*, p. 19 sq.; 83; 120 sq. Göttingen, 1901.

(2) *Jesus-Christus und Paulus*, p. 128. Leipzig, 1902.

(3) *Die eschatologischen Aussagen Jesu in den synoptischen Evangelien*, p. 108. Halle, 1895.

(4) *Quelques traits du Jésus de l'histoire*, p. 11 sq. Montauban, 1899.

allegoriam ab orationibus Domini fuisse penitus exclusam, adeo ut etiamsi verba de quibus sermo, unicum a ratione parabolae refugientem evangelii textum constituerent — quod perperam assereretur — exinde solidum contra eorumdem authentiam argumentum desumi non posset.

Reponit quidem Pfleiderer primitivum responsionis Domini sensum extra simplicis comparationis limites non esse inquirendum. Verum talis assertio non demonstratur ex eo quod versus 19[a] praecisive sumptus citra allegoriam intelligi possit, sed probandum manet utrumque versum 19-20 figurate de persona Jesu intellectos sensum ineptum aut a contextu alienum fundare. Petitam probationem A. Loisy hunc in modum perficit (1) : « La parabole sur les garçons de noces qui jeûneront quand l'époux leur sera enlevé se présente maintenant comme une allégorie. Mais si Jésus s'était désigné lui-même comme époux, son argumentation n'aurait pas eu de force probante : il aurait simplement affirmé que ses disciples ne pouvaient pas jeûner tant qu'il était avec eux. Le sens primitif de la réponse paraît avoir été : les garçons de noces ne peuvent jeûner tant qu'ils sont avec l'époux ; si l'époux vient à être enlevé inopinément la fête est finie, les compagnons de l'époux sont affligés; ainsi les disciples du Baptiste jeûnent, n'ayant plus leur maître, et ceux de Jésus ne jeûnent pas l'ayant avec eux ».

Ex qua argumentatione etiamsi exacta reperiatur tantum consequeretur Dominum a parabola ad allegoriam gressum hic fecisse, ita ut postquam v. 19 simplicem comparationem adhibuerat, v. 20 se jam cum sponso identificet. Porro quum haec duo genera litteraria parabolicum et allegoricum mixtim adhiberi queant et quandoque adhibeantur, nihil obstat quominus hanc hypothesim admittamus, ipseque A. Jülicher eamdem ut possibilem proponit. Dicit enim (2) : « verba ἐν ᾧ praecedentibus μὴ δύνανται restrictionem apponere videntur, et sic satis apte sequentia, in quibus ob mutatas conditiones jejunium discipulis observandum praedicitur, introducunt. Quo posito,

(1) *L. c.*
(2) *O. c.*, p. 187 sq.

duplex occurrit hypothesis possibilis : vel versu 20 simplex protrahitur parabola; quo in casu, prima ejusdem versus verba ἐλεύσονται δὲ ἡμέραι, quum cum allegoria cohaereant, ut spuria expungenda sunt; vel ipse Christus a parabola ad allegoriam transitum faciens, quod prius instituendae comparationis gratia adhibuerat, sibi jam, ut mortem suam vaticinaretur, applicuit ».

Insuper vero A. Loisy et A. Jülicher procedunt a falso supposito Jesum in sua responsione quidquam voluisse demonstrare. Etenim positae quaestioni quare discipuli ipsius non jejunent, simpliciter reponit his quamdiu apud ipsum versantur jejunium non esse observandum, sponte autem eosdem post ipsius mortem esse jejunaturos. Videri quidem posset talem responsionem qua jejunium postea a discipulis observandum praedicitur positae quaestioni cur hic et nunc poenitentiam non agant, non aptari. Verum responsio demonstrativa nec in tradita interpretatione Loisy habetur : quonam enim de motivo relationes quibus discipuli Jesu devinciuntur cum gaudiis nuptialibus aequiparari possint et debeant — quod quidem in demonstrativa responsione fuisset cardo rei — nullatenus explicatur. Ceterum quum sequaces Pharisaeorum et Joannis Baptistae non quidem omni die sed quibusdam determinatis diebus et temporibus poenitentiam agerent (Luc. V, 33), stricte loquendo solvebatur proposita objectio ex hoc quod discipuli Christi postea jejunaturi sint, praesensque tempus abstinentiae opportunum non sit : hanc autem inopportunitatem sufficienter indicat figura sponsi et filiorum thalami sive eadem sensu allegorico (1), sive parabolico intelligatur.

Circa tempus ad quod colloquium quod examini subjecimus referendum sit, verbulum addendum superest. Et statim observandum obvenit illud idem, praecise ob locum quem in evangeliis sortitur ad primam ministerii Domini partem non esse referendum. Lucae enim et Matthaei narrationem a Marco canonico pendere, quod A. Jülicher et G. Hollmann tuentur, omnia suadent; ab altera parte, Marcus sectionem II, 1-III, 6 ad quam dictum colloquium pertinet, non tam chronologice quam logice construxit : coadunavit enim varia facta vitae

(1) Cfr. Jo. III, 29.

Domini variosque ejus sermones quae cum oppositione Pharisaeorum in die crescente cohaerent. Ex ipsa quidem objectionis natura, id est ex jejunii neglectu, qui cum a moribus receptis recederet, statim ab initio ab hostibus Jesu non animadverti non potuit, non absque verisimilitudinis specie infert P. Feine, eamdem ad posteriorem ministerii partem referri non posse; apodicticam tamen aut solidam probationem haec assertio capere nequit.

Quapropter argumentatio qua W. Wrede apud Marcum contradictorias assertiones prostare conficiat, duplici vitio laborat : instruitur imprimis inexacta Marci II, 19-20 interpretatione : hic enim locus non quidem clarum et primo auditu intelligibile sed allegoricum adeoque obscurum mortis Jesu vaticinium quum contineat, Marc. VIII, 31 ubi de clara et manifesta passionis praedictione agitur, contradicere nequit; insuper ideo deficit quia allegoria sponsi auferendi indeterminabili momento prolata est.

Sit itaque conclusio haec : Verba Christi apud Marc. II, 19-20 relata obvelatam et pro auditoribus vix intelligibilem mortis prophetiam continent : haec posteriori interpolationi adscribenda esse, quod nonnulli exegetae recentius propugnarunt, nec ex aliis evangelii locis, nec ex caractere suo allegorico, citra petitionem principii confici potest.

2. *Signum Jonae* (Matth. XII, 38 sq.; XVI, 4; Luc. XI, 29 sq.).

Gravior quidem exsurgit quaestio utrum a scribis et pharisaeis in confirmationem doctrinae suae signum dare rogatus, Christus tentatores suos ad signum Jonae remittendo, mortem suam et resurrectionem suam vaticinari intenderit. Cujus signi mentio apud Matth. XII, 38 sq.; XVI, 4 necnon apud Lucam XI, 29 sq. occurrit. Jamvero si testimonio haeseris Matth. XII, 38 sq. et in versu 40 ipsius Christi verba et quidem in hoc contextu prolata prostare opinatus fueris, nullum hac de re dubium reliquum erit. Signum Jonae quippe de triduana commoratione Domini in sinu terrae ex professo explicatum legitur : « sicut enim fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus et tribus noctibus, sic erit filius hominis in corde terrae tribus diebus et

tribus noctibus ». Atvero ex locorum parallelorum id est Matth. XVI, 4 et Luc. XI, 29 sq. inspectione, necnon ex ipsius v. 40 contextu immediato exegetis haud paucis visum est signum Jonae in ore Christi simpliciter poenitentiae praedicationem significare; verba autem v. 40 esse explicationem posterioris temporis contextui nullatenus adaptatam. Quam sententiam, quam olim jam proposuerat Maldonatus, recentiori tempore denuo vulgavit Paulus et post ipsum defendendam assumpserunt in Hollandia Scholten (1) et Kuenen (2), in Gallia A. Réville (3), A. Loisy (4) et alii, in Germania critici plurimi ut Beyschlag (5), Wendt (6), H. Holtzmann (7), Joh. Weiss (8), Baldensperger (9) et G. Hollmann (10). Contra quos rebellarunt Bern. Weiss (11), Kähler (12), Zahn (13), Barth (14) et Knabenbauer (15).

(1) *Bijdragen tot bevordering der Bijbeluitlegkunde,* I, p. 36 sq. (Citatus apud Kuenen).

(2) *Historisch-kritisch onderzoek naar het ontstaan en de verzameling van de boeken des Ouden Verbonds,* II; p. 436 sq. Leyden, 1889.

(3) *Nouvelle Revue de théologie,* I, p. 339 sq.

(4) *L'Evangile et l'Eglise,* p. 5 : « Quand on lui demande un signe, Jésus répond qu'il n'en donnera pas d'autre que celui de Jonas, c'est-à-dire qu'il ajourne ses auditeurs au prochain jugement de Dieu ». Paris, 1902.

(5) *Neutestamentliche Theologie,* I, p. 143². Halle, 1895.

(6) *Die Lehre Jesu,* I. *Die evangelischen Quellenberichte über die Lehre Jesu,* p. 103 sq. Göttingen, 1886.

(7) *Hand-Commentar zum Neuen Testament,* I², p. 143.

(8) *Das Evangelium des Lucas* (Meyers Comment.⁸), p. 474. Göttingen, 1892.

(9) *Das Selbstbewusstsein Jesu im Lichte der messianischen Hoffnungen seiner Zeit,* p. 234². Strassburg, 1892.

(10) *Die Bedeutung des Todes Jesu,* p. 23 sq. Tübingen und Leipzig, 1901.

(11) *Das Matthäus-Evangelium* (Meyers Comment.⁹), p. 243 sq. Göttingen, 1898.

(12) *Dogmatische Zeitfragen,* II. *Zur Lehre der Versöhnung,* p. 163 sq. Leipzig, 1898.

(13) *Das Evangelium des Matthäus,* p. 466 sq.

(14) *Die Hauptprobleme des Lebens Jesu,* p. 186². Göttingen, 1903.

(15) *Commentarius in evangelium secundum Matthaeum,* I, p. 497 sq. (Cursus Scripturae sacrae). Parisiis, 1892.

Quum autem quaestio de significatione signi Jonae notabilem in nostra inquisitione locum sortiatur, disputationis fundamenta inquirere et dijudicare jam juvat. Prior itaque sententia statuit juxta primitivi textus, qualem adhuc Lucas XI, 29-32 exhibet, tenorem, medium comparationis Christum inter et Jonam statutae terminum esse munus praedicatoris : sicut Ninivitis non aliud datum est signum nisi ipsa prophetae praedicatio, qua moniti aut humiliter poeniterent, aut poenas darent si secus, ita scribis et pharisaeis non aliud signum nisi ipsam Christi monitionem seu ad resipiscentiam vocationem traditum iri docetur. Quae quidem monitio potius ironice signum dicitur, ob rogatum signum a Pharisaeis. Qui huic interpretationi auctores adhaerent, eamdem sequentibus argumentis fulciunt. 1° Vituperatio Pharisaeorum priori responsionis Domini parti inhaerens « γενεὰ πονηρὰ καὶ μοιχαλίς », ut nullum ipsis portentum concedatur, expostulare videtur. Jam autem si signum Jonae de morte et resurrectione Domini intelligatur eximium ipsis miraculum concessum iri affirmaretur. 2° Jonam Ninivitis triduanam suam in ventre ceti commorationem et miraculosam liberationem ut signum divinae suae missionis tradidisse, et certe mirae hujusce sortis cognitionem divinum propheticae missionis caracterem Ninivitis attestatam esse, aut scribis et pharisaeis Christi mortem et a mortuis resurrectionem, in quantum portentum constituunt, in providentialis hujus muneris testimonium contigisse, nullibi legitur, et sat inepte assereretur. 3° Accedit et parallelismus inter Ninivitas et reginam austri, tum apud Matth. XII, v. 41 et 42, tum apud Luc. XI, 31 et 32 vigens, ex quo consequitur Dominum ipsam suam praedicationem sub signo Jonae praesignare : Ninivitae quippe et regina austri scribas et pharisaeos dijudicaturi affirmantur, ideo praecise quia ad verbum prophetae poenitentiam egerunt, et propterea incredulos Christi auditores confundent. Quibus ex considerationibus, novae interpretationis patroni sibi videntur confecisse non tantum apud Lucam XI, 29 sq. sed et apud Matth. XII,

38 sq. signum Jonae nihil aliud praeter κήρυγμα Ἰωνᾶ seu poenitentiae praedicationem indicare. Hinc verba v. 40 capitis XII, Matthaei, quae idem signum de mira prophetae sorte interpretantur et quae, de cetero, in locis parallelis desiderantur, ex posterioris temporis speculationibus enata esse, ulterius inferunt.

Traditionalem interpretationem vero qui tuentur, critica fundamenta eidem suppeditant sequentia. 1° Praedicatio Jonae cum praedicatione Jesu nulla excogitabili ratione comparari aut eidem coaequari potest : Jonas enim paganis cum successu, Jesus Judaeis notabili absque fructu evangelizavit. 2° Peracta a Christo praedicatio, sicut nec Ninivitarum evangelizatio « signum » congrue dici potest; insuper si de praedicatione sermonem fieri dicatur, aequo jure alius propheta quilibet ut Jeremias aut Isaias ut comparationis terminus in medium adduci potuisset. 3° Capitale oppositae sententiae argumentum, vigente inter Ninivitas et reginam austri parallelismo instructum, ideo nullum est quia versus 41 nullatenus explicationem constituit versus 40, sed huic asyndetice copulatur. Tandem 4° — et in hac consideratione victricem vim reponit F. Barth — si verba versus 40 ad modum vaticinii ex eventu introducta fuissent, hunc quem exhibent tenorem, nequaquam prae se ferrent : de facto enim Christus nonnisi per unam diem et duas noctes in terrae sinu remansit : quod quidem praedicens Dominus, verba Os. VI, 2 ad parvum temporis spatium indicandum, invocare potuit; qui vero post eventum et cum perfecta rei prout contigerat cognitione sortis Jonae et Salvatoris analogiam animadvertisset et in evangelium introduxisset, absque dubio aut determinationem temporis omisisset aut exactam posuisset.

*
* *

Expositam controversiam jam dijudicandam suscipimus. Porro rite posita distinctione inter authentiam versus 40, c. XII, Matth. ejusque cum contexta oratione connexionem, propugnamus hanc esse sententiam magis fundatam ut asseratur signum Jonae de quo Matth. XII, 39 nihil aliud sibi velle nisi

prophetae praedicationem, adeoque versum 40 cum contextu non bene quadrare. Simul tamen contra prioris opinionis asseclas tenemus versum 40 authenticum Domini continere verbum, ex litterario evangelistae processu, in contextum, quem primitus non spectavit, insertum.

1. Ipsam itaque pericope Matthaeanae XII, 38-41 interpretationem quod attinet, prioris sententiae argumenta nostra facimus : quae vero in contrariam partem in medium afferuntur, facili negotio refelli reputamus. Inepte certe asseritur non posse inter se comparari praedicationem Jonae et evangelizationem Domini : haec quippe inter se comparantur de facto, in omni hypothesi et interpretatione, juxta Matth. XII, 41 et Lucae XI, 32. Quod vero nequeant utriusque praedicatoris monitiones ad invicem aequiparari sub ratione signi, eatenus tantum sustineri potest, quatenus σημεῖον sensu miraculi intelligatur : quam interpretationem a contextu infirmatam imo exclusam vidimus. Insuper non absque manifesta exaggeratione asseritur alium prophetam quemvis, aequo jure ac Jonam, a Christo invocari potuisse : scribis quippe et pharisaeis praedicitur ipsos ad meliorem frugem se recepturos vel poenas daturos esse : porro talis praedictionis typus litterarius κατ' ἐξοχήν Jonas ab omnibus cognoscitur. Ceterum quod et alius propheta hic ut terminus comparationis adduci potuisset, quominus de Jona sermo de facto moveatur, non impedit, ut per se liquet.

*
* *

Antequam tamen concludamus sententiam quam tuiti sumus extra controversiam esse reponendam, P. Knabenbauer (1), qui quaestioni nostrae ex professo studuit et specialiores suae interpretationi rationes adinvenit, audire juvat. Doctus exegeta sententiam suam hunc in modum aperit : « Signum Jonae referri ad Christi mortem et resurrectionem ex v. 40 *sicut enim* etc. certum est. Ex catholicis quantum scio solus Maldonatus id negat, qui signum reponi et explicari censet solo v. 41 tamquam

(1) *L. c.*

signum quo condemnabuntur, nostro autem versu 40 nihil aliud Christum docere voluisse quam se esse Judaeis quod Jonae fuerit Ninivitis, eo etiam majorem quo majus sit mortuum resurgere quam evomi devoratum, et tamen Ninivitas Jonae credidisse, Judaeos sibi non credere. Ex protestantibus haud pauci eamdem sententiam amplectuntur signum non reponi in resurrectione sed in sola Christi praedicatione et toto agendi modo... : quare Keim v. 40 censet ineptam interpolationem ex tempore posteriore quo Christo explicatio erronea supposita sit. At σημεῖον hoc loco dicitur emphatico, de miraculo aliquo patrato ; hoc autem miraculum revera explicatur v. 40, neque ullo modo signum tangitur v. 41, neque ibi dicitur quale signum dandum sit Judaeis, neque existimari potest miraculum Jonae consistere in poenitentia Ninivitarum : quo enim pacto posset tum Christus asserere hoc signum iri datum Judaeis? et tamen in v. 39 promittit signum Jonae prophetae esse illud quod eis concedatur. Ubinam itaque signum Jonae esse potest nisi sit in v. 40? Dein adverti debet Christum loqui de signo *futuro* ; ergo hoc signum quod promittit non potest esse ejus praedicatio praesens cui Judaei non adhibent fidem. Idem ostenditur ex v. 42 : haec enim sententia de regina austri eamdem continet reprehensionem Judaeorum quae in v. 41 legitur adeoque intime cohaeret cum v. 41. Jam nemo dicet apte posse statui : dabitur Judaeis signum reginae austri : ergo a pari nequit asseri v. 41 explicari signum Jonae. Proinde uti ipsa dictione clare indicatur *sicut enim*, in v. 40 continetur signum Jonae et ita necesse esset explicari etsi v. 40 deesset : nam quam primum quis audit de miraculo stupendo in Jona facto, non potest non cogitare de Jona II, 1 sq. Quare Luc. XI, 30 eodem modo intelligatur oportet : sicut fuit (ἐγένετο, fiebat) Jonas signum Ninivitis, ita *erit* et Filius hominis generationi huic : Jonas servatus est miraculo in utilitatem Ninivitarum, fiebat miraculum Jonas pro Ninivitis, ita Christus quoque *erit* miraculum quoddam simile pro Judaeis. Cum de tempore futuro quo *erit* signum mentio fiat, non possunt verba intelligi de Christi praedicatione praesenti. Quare Matthaeus non habet aliquid a Luca diversum vel ei contrarium sed potius dictio illa apud Lucam brevior explicanda est ex Matthaeo ».

Ipsa verba docti exegetae sub oculis lectoris reposita voluimus quo melius videat utrilibet interpretationi sit assentiendum. Commune itaque disputationis fundamentum P. Knabenbauer et nobis in eo stat narrationem Matthaei et Lucae idem spectare factum adeoque utrique eamdem interpretationem esse adinveniendam. Quo posito, sedulo notandum velim signum Jonae Ninivitis revera datum esse : explicitis verbis id testatur Luc. XI, 30 : « sicut enim Jonas *fuit* signum Ninivitis, ita erit et filius hominis generationi isti ». Nunc autem quanam ratione fuitne Jonas signum Ninivitis? An per commorationem in mari et miram ab eo liberationem? Tale quid nullibi legitur et rem sic se habuisse cum probabilitate suspicari nequit. Repones quidem : sed neque per praedicationem fuit propheta Ninivitis σημεῖον. Esto, sed inde concludendum de signo, sensu miraculi intellecto, sermonem hic non moveri et non alia ratione praedicationem Jesu dici signum nisi ob rogatum signum ab adversariis. Unde primam, quam Knabenbauer invocat, rationem simpliciter negamus, tum quia non probatur, tum quia miram prophetae sortem Ninivitis in signum contigisse gratuito supponeretur, tum quia incredulis pharisaeis miraculum concessum iri non exspectatur. Insuper eadem ratio retorqueri potest : Pharisaei enim signum de coelo σημεῖον ἐκ τοῦ ουρανοῦ, divinam Jesu missionem per se comprobans, expostulaverant : porro mors et resurrectio Christi tale signum pro ipsis non constituunt : resurrectionis enim non fuerunt testes immediati, et nuntiantibus eamdem apostolis, sicut praesenti Jesu praedicationi, credere debuerunt.

Quod Christus loquatur de signo *futuro*, verum est aliquo sensu, at nihil inde in favorem sententiae traditionalis quis lucraretur. Praedicatio enim hic sumitur, prout connotat effectum, id est sinceram auditorum conversionem vel poenarum inflictionem : porro effectus ille ad futurum pertinet.

Et idem dicendum ad tertiam rationem in eo fundatam quod sententia de regina austri v. 42 eamdem contineat reprehensionem judaeorum, de qua v. 41 loquitur. Nam P. Knabenbauer nimis manifeste confundit signum Jonae et reprehensionem Judaeorum : signum Jonae, in nostra sententia, est praedicatio

poenitentiae, quam nemo impune negligeret; quod quidem denuo elucet ex versu 41 : Ninivitarum enim conversionem a signo dato productam, Jesus praescribit dicendo eos poenitentiam egisse *in praedicatione Jonae.* Pari modo, signum quod Judaeis datum iri affirmatur est κήρυγμα μετανοίας, quo accepto hi aut se convertentur aut poenas dabunt. Porro Dominus in lucem ponit et vituperat malitiam suorum auditorum, qui licet monitum ab ipso Messia accipiant, ex eo tamen conversionis frugem, quem Ninivitae ex nuntio Jonae et regina austri ex audita Salomonis sapientia collexerunt, non colligent : quapropter Judaeos tum a Ninivitis tum a regina austri damnandos id est confundendos praedicit. Itaque quod v. 42 cum v. 41 intime cohaereat, hunc in modum merito distinxeris : sub ratione signi dandi : nego; sub ratione reprehensionis quae Pharisaeos attinget, concedo. Ergo et tertia P. Knabenbauer ratio, ut imbelle cadit telum (1).

(1) Ex his quae praemisimus sententiam Knabenbauer et qui cum ipso faciunt sufficienter exclusam reputamus. Ineluctabile contra eamdem argumentum suppeditat etiam comparatio Matth. XVI, 4 et Marc. VIII, 12. Communis quippe est utrique priori synoptico petitio signi quam Pharisaei et Sadducaei tentantes Christum fecerunt, et quidem utrobique de eodem facto agi, ex contexta oratione luculenter patet : dictam quippe petititionem praecedit miraculosa multiplicatio panum, Matth. XV, 32-38; Marc. VIII, 1-9; eamdem subsequitur monitum circa fermentum Pharisaeorum a Christo traditum. Diversitas quidem est inter utrumque fontem circa indicationem loci quem Dominus post panum multiplicationem petierit : Marcus VIII, 10, Dalmanutha, Matth. XV, 39, Magedan assignat : verum haec diversitas, quam nunnulli ex inexacta vocis aramaïcae versione explicandam autumant (cfr. NESTLE, *Philologia sacra,* p. 17; R. A. HOFFMANN, *Das Marcusevangelium und seine Quellen,* p. 316 sq. Königsberg, 1904) alii materialem esse volunt, eo quod Dalmanutha et Magedan unius ejusdumque loci duo sint nomina diversa, manifeste nequit in medium adduci ad probandum Marcum et Matthaeum de diverso facto loqui. Quibus notatis, conferamus jam Marc. VIII, 12, cum Matth. XIV, 4 :

Marc. VIII, 12	Matth. XIV, 4
Marc. VIII, 12 : Et ingemiscens spiritu ait : Quid generatio ista signum quaerit? Amen dico vobis si dabitur generationi isti signum.	Matth. XIV, 4. Generatio mala et adultera signum quaerit et signum non dabitur nisi signum Jonae prophetae.

2. Ex his quae praemisimus consequitur versum 40 capitis XII Matthaei cum contexta oratione non quadrare : hunc itaque vel extra historicum suum contextum versari, vel posterioris aetatis retractationi adscribendum concludamus oportet. Porro exegetae, quibus in declaranda signi Jonae natura adstipulati sumus, ex duabus assignatis hypothesibus, secundam, nulla mentione facta prioris, simpliciter tenent : contra quos verbi v. 40 authentiam vindicandam assumimus.

Imprimis quidem sedulo notandum est, ipsum locum indebitum, quem dictum logion in evangelio sortitur, contra ejusdem genuinitatem in medium adduci non posse. Quum enim facta et orationes quae in primo evangelio leguntur, ordine logico et objectiva connexione coadunata reperiantur, haud raro contingere debet — quod circa verba Christi eschatologica X, 23, jam deprehendimus — ex suppressis indicationibus chronologicis aliisque adjunctis plures eventus et sermones contextui haud congruere. Hagiographo quippe polemice et apologetice messianitatem Jesu demonstraturo, de historia stricte dicta conscribenda vix curae fuit. Hinc si ponamus versu 40 genuinum Domini circa mortem suam et resurrectionem vaticinium, quod Matthaeus referre intenderit, prostare, illud idem in colloquio de signo Jonae obvie fuit inserendum. Mirationem quidem primo aspectu movere posset dictum vaticinium non asyndetice referri, sed voce γάρ praecedentibus copulari, quo indicetur sermonem

Juxta Marcum itaque Christus instanter docet signum se non daturum; hinc si signum Jonae apud Matth. sensu miraculi audiatur, contradictio esset manifesta. — Prolata consideratio facit etiam contra A. Loisy, qui licet nobiscum consentiat in assignando primitivo « signi Jonae » sensu, propugnat tamen Matthaeum illud sensu miraculi jam intellexisse. Dicit enim : *Le quatrième Evangile* (Paris, 1903), p. 290 : « Jean a compris, II, 19, le signe de Jonas comme le rédacteur du premier évangile (XII, 40), et il a entendu ce signe des trois jours passés par le prophète dans le ventre du poisson. » Talis autem assertio haec duo supponit : 1° prophetiam Matth. XII, 40, contentam non esse authenticam; 2° logion Jo. II, 19, de templo reaedificando in trium dierum spatio, esse spurium : neutrum autem demonstratur. Insuper quum Matth. XVI, 4, dependeat a Marc. VIII, 12, probabilissimum est et ipsum signum Jonae in sensu praedicationis intellexisse; et certe demonstratio in contrarium desideratur.

de eodem objecto pergere : verum et haec connexio litterario evangelistae processu adscribenda videtur.

Ab altera nunc parte, in favorem genuinitatis ejusdem vaticinii jam facit animadversio, quam ex Barth supra adduximus, praesentem ejusdem tenorem in hypothesi interpolationis posterioris esse vix explicabilem. Notandum insuper obvenit logion : « solvite templum hoc et in tribus diebus excitabo (= reaedificabo) illud » quod juxta Jo. II, 19 Jesus, rogatus in confirmationem auctoritatis qua vendentes ex templo ejecerat signum tradere, protulisse refertur. Quum enim prophetiam contineat, exque testimonio Marci XIV, 58 et XV, 29 = Matth. XXVI, 61 et XXVII, 40 authenticum videatur, Jesum verba v. 40 capitis XII Matthaei similia protulisse comprobat. Nulla itaque suppetit ratio triduanae in sinu terrae commorationis praedictionem a Christo abjudicare.

Nunc autem determinatio temporis ad quod eadem referenda sit, penitus nos fugit : contextus enim in quo prolata fuerit desideratur; ob indicationem tamen Marci VIII, 31 eamdem versus finem vitae Domini reponendam censerem.

Articulus II.

De authentia et interpretatione Marci X, 45 = Matth. XX, 28.

Ad examen verborum, quibus Christus occasione contentionis inter discipulos suos exortae, munus religiosum morti suae competens indigitavit, quaeque identico ferme tenore apud duos priores synopticos servata reperiuntur, jam accedimus. Quo facilius lector inquisitioni nostrae attendat, parallelum Marci et Matthaei textum, hic transcribere juvat.

Marc. X, 35. Καὶ προσπορεύονται αὐτῷ Ἰάκωβος καὶ Ἰωάννης οἱ υἱοὶ Ζεβεδαίου, λέγοντες αὐτῷ · διδάσκαλε, θέλομεν ἵνα ὃ ἐὰν αἰτήσωμέν σε ποιήσῃς ἡμῖν...	Matth. XX, 20. Τότε προσῆλθεν αὐτῳ ἡ μήτηρ τῶν υἱῶν Ζεβεδαίου μετὰ τῶν υἱῶν αὐτῆς, προσκυνοῦσα καὶ αἴτουσά τι παρ' αὐτοῦ...
41. Καὶ ακούσαντες οἱ δέκα	24. ἀκούσαντες δὲ οἱ δέκα

ἤρξαντο ἀγανακτεῖν περὶ Ἰακώβου καὶ Ἰωάννου. 42. καὶ προσκαλεσάμενος αὐτοὺς ὁ Ἰησοῦς λέγει αὐτοῖς· οἴδατε ὅτι οἱ δοκοῦντες ἄρχειν τῶν ἐθνῶν κατακυριεύουσιν αὐτῶν καὶ οἱ μεγάλοι αὐτῶν κατεξουσιάζουσιν αὐτῶν. 43. οὐχ οὕτως δέ ἐστιν ἐν ὑμῖν· ἀλλ' ὅς ἂν θέλῃ μέγας γενέσθαι ἐν ὑμῖν, ἔσται ὑμῶν διάκονος. 44. καὶ ὅς ἂν θέλῃ ὑμῶν γενέσθαι πρῶτος, ἔσται πάντων δοῦλος. 45. καὶ γὰρ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου οὐκ ἦλθεν διακονηθῆναι, ἀλλὰ διακονῆσαι καὶ δοῦναι τὴν ψυχὴν αὐτοῦ λύτρον ἀντὶ πολλῶν.

ἠγανάκτησαν περὶ τῶν δύο ἀδελφῶν. 25. ὁδὲ Ἰησοῦς προσκαλεσάμενος αὐτοὺς εἶπεν· οἴδατε ὅτι οἱ ἄρχοντες τῶν ἐθνῶν κατακυριεύουσιν αὐτῶν καὶ οἱ μεγάλοι κατεξουσιάζουσιν αὐτῶν. 26. οὐχ οὕτως ἔσται ἐν ὑμῖν· ἀλλ' ὅς ἐὰν θέλῃ ἐν ὑμῖν μέγας γενέσθαι ἔσται ὑμῶν διάκονος. 27. καὶ ὅς ἂν θέλῃ ἐν ὑμῖν εἶναι πρῶτος ἔσται ὑμῶν δοῦλος. 28. ὥσπερ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου οὐκ ἦλθεν διακονηθῆναι ἀλλὰ διακονῆσαι καὶ δοῦναι τὴν ψυχὴν αὐτοῦ λύτρον ἀντὶ πολλῶν.

Citata verba pretiosum origini soteriologiae christianae investigandae documentum constituere, nemo est qui non videat. Quae enim si authentica et sensu litterali audienda reperiantur, neque Paulus neque primitiva communitas sed ipse Christus ut primus soteriologiae doctor habendus erit, et doctrina quae in Ecclesia, circa generis humani redemptionem, quatenus morti Domini ceu juridico et religioso titulo innititur, a Paulo ad Anselmum usque statuta est, in revelatione historicum habere fundamentum, demonstratum erit. Verum juridicam redemptionis doctrinam esse evangelium Paulo proprium, ex psychologico-religiosa apostoli experientia simul ac ex judaica circa cultus valorem vulgata philosophia enatum. et certe a Christi praedicatione alienum et cum eadem inconciliabile, a plerisque exegetis coaevis ad instar dogmatis tenetur et defenditur. Qualis enim morti Christi valor religiosus competere potest, si genuini christianismi id est evangelii a Christo praedicati essentia in praedicatione benignae paternitatis Dei, conscientiam humanam immediate dirigentis et citra quodvis sacramenti seu ritus magici, uti aiunt, auxilium, sanantis et elevantis, cum A. Har-

nack (1) reponenda dicatur. Aut quomodo mors Christi poterit sacrificium et totius oeconomiae supernaturalis fundamentum dici, si ipsius doctrina regni eschatologici instantis praedicatione cum A. Loisy (2) et Joh. Weiss (3) absolvi dicatur? A quo enim Sociniani soteriologiam objectivam, hanc nimirum quae relationes quibus homines Deo devinciuntur, per mortem Christi et institutiones ex ejusdem valore enatas regulari proclamat, impugnarunt, quotquot cum caractere societatis a Christo fundatae dogmata et ritus cohaerent — solo filialis in paternitatem Dei fiduciae dogmate retento — ex protestantismo educta et eleminata sunt. Sociniani (4), Baur (5), Ritschl (6), Harnack — nonobstante religioso accentu qui in scriptis docti berolinensis historiographi deprehenditur — systematis illius quo modernae societatis relativismum et individualismum christianismo ita consociare student ut rejecto quovis mysterio et imprimis divinitatis Christi dogmate, aliquis tamen regulandae hominis vitae religiosae, Christi influxus retineatur, antesignani sunt.

Cujus systematis valori absoluto dijudicando, hic locus non est. Illorum quae infra hac de re disputabimus fundamentum, ipsa Christi verba suppeditent oportet. Quapropter ad interpretationem nostri textus statim transimus.

Valoris dogmatici morti suae inhaerentis proclamationem, quam primo aspectu citatis verbis Christi inhaerere dixeris, duplici via ab ipso amovere conantur :

I. Alii enim critici loci nostri, prout legitur, sensum ita student enervare ut objectivam soteriologiam nulla ratione jam fundet. Censet nempe Beyschlag (7) ex immediato contextu indubie erui, expiationis aut objectivae soteriologiae speciem

(1) *Das Wesen des Christentums,* passim, Berlin, 1900.

(2) *L'Evangile et l'Eglise,* p. 1 sq. Paris, 1902.

(3) *Die Predigt Jesu vom Reiche Gottes,* passim, Göttingen, 1900.

(4) F. Socinus, *De Jesu-Christo Servatore,* Basel, 1574-1578 et *Rakauer Katechismus* quem anno 1605 publici juris fecerunt Moscorius und Schmalz.

(5) *Vorlesungen über die neutestamentliche Theologie*, herausgegeben von F. G. Baur, 1864; Id. *Versöhnungslehre,* p. 386 sq. et passim.

(6) *Rechtfertigung und Versöhnung*, passim, 1889[2 et 3].

(7) *Neutestamentliche Theologie*, I, p. 152 sq. Halle, 1891.

nullam hic prostare. Discipulos etiam meliores sub peccato et ambitione venumdatos, humanasque cogitationes volventes videns, Christus superbiam vituperavit et per ignominiosam, quam libere suscipiet, mortem suam ex corde discipulorum delendam esse, annuntiaverit. Non alia itaque ratione se suos liberaturum Salvator praenuntiavit nisi quatenus vitam suam in humilitatis exemplar et ad peccati et superbiae spiritum interimendum se traditurum proclamavit.

Paulo diversam a praecedenti et certe illa profundiorem interpretationem defendit A. Seeberg (1). Cui si credamus, Christus mortis debitum quod juxta conceptus, apud suos coaevos vulgatos, ex peccato oriri putabatur, per suae vitae sacrificium delendum praedixerit. Quod tamen ne praepostere intelligas, probe notes juxta auctoris sensum, peccatum duplici ratione homini dominari, ipsum nimirum ob inhaerentem sibi malitiam Dei offensi debitorem constituendo, aut per illecebras et pravas consuetudines ad instar tyranni constringendo. Nunc autem quo sensu Christus discipulos suos peccato et morti subditos cogitaverit, insolubilem Seeberg censet esse quaestionem. Maneret itaque intimus nostri loci sensus, ob praecisionis defectum, quasi obvelatus, et quae ex eodem critico cum fundamento erui possunt, sub his summis capitibus jure complectuntur : 1° Christus nuntiat mortem suam, libere susceptam, multitudini liberationem esse allaturam, 2° hocque ideo quia per eamdem mortis imperium devertet.

Recentius G. Hollmann (2) textui nostro ex professo studuit, ipsumque cum locupletissimae eruditionis apparatu et cum respectu ad historica ipsius antecedentia interpretari aggressus est. Examinis sui conclusionem hunc in modum proponit : juxta Marc. X, 45 = Matth. XX, 28, Christus : 1° in eadem linea in qua vitam, suam reposuit et mortem, qua 2° multas animas a perditione salvabit, multisque salutem procurabit, hocque 3° verisimilius ideo quia apud multos poenitentiae sive

(1) *Der Tod Christi in seiner Bedeutung für die Erlösung*, p. 348 sq. Leipzig, 1895.
(2) *O. c.*, p. 99 sq.

μετάνοιας sensum provocabit. Quae sententia, si G. Hollmann credamus, prae ceteris se commendaret : 1° tamquam judaeorum speculationibus theologicis, inde ab exilio vulgatis magis conformem, 2° ipsique Domini essentiali doctrinae magis consonam et 3° in contexta oratione, magis fundatam. Judaici enim mysticismi evolutionem quod attinet, sic ille, poenitentiae sensus, quos Esdras X, Nehem. IX, Joel II, Jonas III et numerosi psalmi apud populum oppressum vividos fuisse testantur, continua incrementa sumpserunt, adeo ut Macchabaeorum tempore, judaei salutem in ipsis constitutam putarent. Quapropter Baptistam βάπτισμα μετανοίας praedicasse, nemini mirationi esse potest. Nunc autem, Christus per ministerium suum, poenitentiae sensus non tantum non compressit, sed et fovere continuo sategit, suaeque praedicationis quasi tesseram vocem « μετανοεῖτε! » constituerat : sensuum immutationem quippe, esse regni adventui conditionem praerequisitam, sicut Os. X, 12, Jeremias IV, 3, Ezechiel XVIII, 31, optime noverat. At γενεὰ αὕτη πονηρά, Ninivitis corruptior, se magis ac magis obdurabat, et sicut reliquos prophetas occiderat, Messiae mortem eam machinaturam, Jesus clare perspexit. Doloroso autem sensu, quum exclamaret : « Jerusalem, Jerusalem, quae occidis prophetas, et lapidas eos qui ad te missi sunt! » et ministerii sui terminum esse mortem quum volveret, ipsi oboritur suspicio, in dies fortior et quae ad certitudinis gradum mox pertingit, vitae suae sacrificium μετάνοιαν, quam per vitam seu ministerium producere non potuerat, apud suos procuraturum esse. Jamvero sub ductu talis psychologiae, verba Marci X, 45 prolata sunt : his itaque Dominis testatur mortem suam multis salutem et specialius poenitentiam, esse allaturam.

Subtili tandem conatu, A. Sabatier (1) novam nostri textus exegesim fundare nisus reperitur. Ipsum audire juvat. « Dans un autre endroit, Jésus fait allusion à sa mort et en explique la raison : « Le Fils de l'homme n'est pas venu pour être servi mais pour servir et donner sa vie en rançon pour plusieurs,

(1) *La doctrine de l'expiation et son évolution historique*, p. 24 sq. Paris, 1903.

δοῦναι τὴν ψυχὴν αὐτοῦ λύτρον ἀντὶ πολλῶν (Marc. X, 45 et paral.) Il ne faut pas séparer ces derniers mots de leur contexte. Le δοῦναι τὴν ψυχὴν se relie à διακονηθῆναι et en est le développement, la consommation et le dernier terme. Séparer sa mort du reste de sa vie, distinguer entre une obéissance active et une obéissance passive, est une opération de la scolastique aussi antihistorique qu'immorale. Jésus a commencé à donner sa vie en entrant dans son ministère, il a achevé de la donner sur la croix. Les actes extérieurs sont différents, la cause qui les produit, c'est-à-dire la foi et l'amour est la même d'un bout à l'autre.

Quant aux autres mots de la phrase, λύτρον ἀντὶ πολλῶν, ils constituent une image et comme une parabole en raccourci. Jésus ne pouvait fonder le royaume de Dieu qu'en détruisant celui du diable, il ne pouvait sauver les hommes qu'en les délivrant de l'esclavage de satan, où le péché les avait mis. Or on ne peut racheter un esclave qu'en payant rançon. Si donc on veut tenir à cette métaphore tirée de la mythologie démoniaque qui régnait alors sur tous les esprits, on dira que Jésus considérait la don de sa vie comme une rançon payée au diable, pour lui arracher plusieurs esclaves, dont le Christ voulait faire autant de citoyens du royaume qu'il allait inaugurer sur la terre. Si la mort n'est donc pas la cause du pardon des péchés mais le moyen par lequel Satan est vaincu et le royaume de Dieu décidément fondé, l'idée du sacrifice expiatoire, d'une rançon payée à Dieu, est totalement étrangère à ce texte essentiellement métaphorique. »

Citati itaque exegetae, quibus plures alii (1) adjungi possent, ideam expiationis a Deo acceptae, aut sacrificii Deo oblati, aut sub generaliori formula redemptionis objectivae sensum, a textu Marc. X, 45 communi conspiratione semovent.

II. Est vero et altera via quam plures critici sequentes, soteriologicum dogma a Christo inde amovere student quod Marci X, 45 verba, prout leguntur, a Christo non esse prolata sed christianorum sibimet Domini mortem ope Scripturarum et prae-

(1) Ita H. WENDT, *Die Lehre Jesu*, p. 511 sq. Göttingen, 1890.

primis ope Deutero-Isaiae (LII-LIII) interpretantium conceptionem exhibere propugnent. Quam sententiam Ch. Baur, in suis famosis « Vorlesungen über die neutestamentliche Theologie » (1) primus proposuisse videtur. Quam thesim, quum plures auctores suam fecissent et simul nostri textus originem pressius determinare allaborassent, duplex schola efformata reperitur : 1° A. Harnack (2), cui et Joh. Hoffmann (3) et A. Eichorn (4) adstipulantur, valorem mortis Christi religiosum, ab ejusdem valore ethico seu morali distinctum a primitiva communitate citra Pauli influxum esse adinventum, strenue defendit. 2° E contra J. H. Holtzmann (5), O. Pfleiderer (6), A. Loisy (7), A. Andersen (8) textum nostrum juxta Pauli speculationes efformatum vel saltem retractatum, ut sententiam probabilem vel etiam certam propugnant. Quorum testimonia, cum argumentis quibus innituntur, compendiose proponamus oportet.

1° O. Pfleiderer (9) sua circa nostrum problema placita, ferme hunc in modum exhibet. Marco X, 45 illa quae apud Lucam XXII, 27 leguntur parallela sunt et quidem ita, ut genuina Domini verba in hoc posteriori loco servata, a Marco in sensum theologiae paulinae retractata reperiantur. Quum itaque, historice loquendo, Christus tamquam altruisticae suae charitatis argumentum integrum vitae suae ministerium suorum saluti conse-

(1) Cfr. H. Babut, *o. c.*, p. 105.

(2) *Das Wesen des Christentums*, trad. franç. p. 97 sq.

(3) *Das Abendmahl im Urchristentum*, p. 48 sq. Berlin, 1905.

(4) *Das Abendmahl im Neuen Testament*, p. 9 sq. Leipzig, 1898.

(5) *Lehrbuch der neutestamentlichen Theologie*, I, p. 291, sq. Freiburg und Leipzig, 1897.

(6) *Das Urchristentum, seine Schriften und Lehren*, I, pp. 575 sq., 679 sq. Berlin, 1902².

(7) *L'Evangile et l'Eglise*, p. 68 sq. Paris, 1902.

(8) *Das Abendmahl in den zwei ersten Jahrhunderten nach Christus*, p. 47. Giessen, 1904.

(9) *Das Urchristentum, seine Schriften und Lehren*, I, pp. 571 sq., 677. Berlin, 1902. *In The new World*, 1899, idem auctor categorice originem paulinam nostri textus affirmat : « The saying attributed to Jesus (Marc. X, 45, Matth. XX, 28) belongs to Pauline Theology ». Gfr. G. Hollmann, *o. c.*, p. 132.

cratum assignasset, Paulus et Marcus tamquam ejusdem charitatis culmen ipsum vitae Domini sacrificium constituunt, imo vitae oblationem ceu apparitionis Messiae finem exhibent (Gal. III, 13, I Cor. VI, 20, 2 Cor. V, 21, Rom. III, 24, VIII, 2). Quam posteriorem theoriam a Marco perperam Christo adscriptam esse, benignae Dei in peccatores charitatis, independenter a quavis satisfactione vicaria, humilibus et contritis corde peccata dimittentis proclamatio, a Christo saepe saepius et signanter in parabola de filio degenere facta, demonstrat. Ceterum, posito Christum sibi fuisse conscium mortem suam esse salutis humanae fontem, quomodo potuisset ipse in olivarum horto calicis remotionem deprecari, aut moriens se a Deo derelictum exclamare? Doctrina theologica Marc. X, 45 contenta, nonnisi ex speculationibus apologetico-dogmaticis, quibus crucis ignominiam, qua Judaei scandalizabantur, altiori Providentiae adscripserunt, exque christianorum fide, qua Jesum ut ens apocalypticum seu Messiam gloriosum putarunt, enasci potuit. Usurpata itaque v. 45 expressio « filius hominis » cum munere redemptorio Christo adscripto intime cohaeret : utrumque ex religiosa primitivae communitatis conscientia, Pauli influxu ditata, originem traxerunt.

2° H. J. Holtzmann (1) sententia huc redit. A quo Jesus, ex adversariorum suorum machinationibus mortis suae conjecturam coepit, eamdem in generaliori suo servitio, in populi sui salutem suscepto, inclusit. Porro hic est sensus primitivus et clarus Marc. X, 45 = Matth. XX, 28; Luc. XXII, 27 : Dominus itaque se ad mortem usque subeundam, humile et beneficum ministerium velle obire testatur. Tali autem assertione, ipsam Messiae mortem salutarem effectum obtenturam esse, intelligi datur. Qui effectus, ubi per verba λύτρον ἀντὶ πολλῶν pressius determinatur, quum in contexta oratione de servitio sermo moveatur, nonnisi liberationem ex statu servitutis designare potest, et conquenter ipsa Christi mors tamquam liberationis pretium, quale in servi redemptionem solvi solemne est, manifeste exhibetur.

(1) *Lehrbuch der neutestamentlichen Theologie,* I, p. 291 sq. Freiburg und Leipzig, 1897.

Libertas itaque in nostro textu intenta est tantum vita in regno Dei peracta, et pretii soluti imago urgenda non est. Si vero vox λύτρον tamquam commutationis pretium in sensu vocabuli ἀντίλυτρον (I Tim. II, 6) et ἀντάλλαγμα (Marc. VIII, 37 = Matth. XVI, 26) intelligatur, tunc quaestio, quanam ratione Christi vita multorum vitae aequivaleat, juxta judaicos satisfactionis vicariae conceptus, quos Paulus Domini morti applicuit, solvi debet. — Jam autem H. J. Holtzmann, ratus hanc posteriorem explicationem a Marco X, 45 de facto fuisse prae oculis habitam, disquisitionem suam hunc in modum concludit : « Ipsa forma litteraria, sub qua haec (satisfactionis vicariae) idea Marc. X, 45 praesentatur, secundi evangelistae stylo est adscribenda; pro realitate sua spectata, ad Paulum pertinet » (1).

3° Prudentius quidem loquitur Joh. Weiss. In sua de regno Dei monographia (2) problema hunc in modum dijudicat. *a)* Lucam, Pauli discipulum et asseclam, logion circa λύτρον, quod theologiae paulinae certe egregium in modum coaptatur, in sua contextus Marci reproductione omisisse, hucusque sufficienter nec animadversum nec explicatum est. Quaestionem hanc ut solvant, plures exegetae reponunt tertium evangelistam integram quae filiorum Zebedaei ambitionem refert pericopen, praemeditata mente neglexisse. Talis autem responsio problema non solvit sed novum creat. Statim enim exsurgit quaestio, quonam de motivo Lucas martyrii Jacobi praedictionem a Christo factam (Marc. X, 39), quum tamen ejusdem executionem enarret (Act. Apost. XII) referre omiserit. Et omissa etiam hac praedictione, cur saltem eximiam Christi de humilitate doctrinam, cum cohaerente circa λύτρον sententia, in colloquium a se XXII, 24-27 expositum non introduxerit. Ex tali omissione, tertium evangelistam (inde a c. IX) adhibuisse fontem a Marco diversum, huicque parallelum et multo minus ac Marcum influxu paulino

(1) *O. c.*, p. 295 : « Die Form aber, in welcher dieser Gedanke Mc X, 45 geboten wird, gehört, stilistisch genommen den 2. Evglsten, sachlich dem Pls an ».

(2) *Die Predigt Jesu vom Reiche Gottes*, pp. 105 sq., 197 sq. Göttingen, 1900. Idem auctor sua dubia recentius denuo expressit : *Das älteste Evangelium*, pp. 67 sq., 265. Göttingen, 1903.

adulteratum, obvia conjectura inferri potest. *b)* Revera eadem inter utrumque evangelistam differentia, in respectiva sua coenae eucharisticae reproductione, deprehendi potest. Brevior enim Lucae textus (XXII, 15-19[a]), qui authenticus est, a Marci textu, omittendo illa praecise quae a Paulo adinventa esse aliunde suadetur, notabiliter distat : deest quippe sententia Christi corpus « pro vobis dari »; deest et institutionis mandatum : « hoc facite in meam commemorationem »; deest praecipue assertio calicem esse novum testamentum in sacrificali Domini sanguine fundatum; uno verbo, desunt illa omnia quae apostoli theologiam caracterizant. *c)* Quum itaque in utroque loco Marcus multo magis ac Lucas influxum Pauli subierit, quaestio utrum sententia circa λύτρον antiquissimae traditioni adscribi queat, sponte oboritur. Jam autem H. J. Holtzmann, negativam responsionem firmanti eo minus contradicam, quod occurrens ibidem expressio « filius hominis » authentica esse nequeat. Textum ergo Marci esse retractationem in sensum paulinum alicujus logii, quale Luc. XXII, 27 legitur saltem probabile est.

4° Denique A. Loisy textum nostrum inter theologiae paulinae foetus computandum esse, repetitis jam vicibus propugnavit. In sua celebri monographia « L'Évangile et l'Église » Harnack carpit quod ille mortis Domini significationem citra Pauli influxum adinventum esse statuerit. Plures hic citati operis paginae, ad aperiendam docti exegetae sententiam, transcribendae essent. At lectorem ad ipsum opus remittere praeferimus, has paucas tantum lineas ex eodem excerpentes (1) : « Quant à l'idée que, le mal et le péché réclamant un châtiment, il y a dans la souffrance du juste une expiation qui purifie, elle est comme intermédiaire entre la notion matérielle du sacrifice et sa notion purement spirituelle, conforme à la première par l'idée de satisfaction expiatoire, touchant à la seconde par l'élément moral qu'elle contient; c'est une conception symbolique où il ne faut pas trop se presser de voir l'expression d'une vérité absolue, indestructible sous cette forme particulière dans la conscience des hommes. Cette conception mixte est dans le

(1) *O. c.,* p. 71.

second Isaie : *il n'est pas autrement prouvé qu'elle appartienne à l'enseignement de Jésus et à la foi de la première communauté.* Le passage de Marc X, 45, où on lit que le Christ est venu donner sa vie en rançon pour beaucoup, *a toute chance d'avoir été influencé par la théologie de Paul* et l'on peut en dire autant des récits de la dernière cène... Les premiers croyants corrigeaient le fait brutal de la mort par la gloire de la résurrection. *Paul découvre à la mort un sens et une efficacité, qui peuvent compter indépendamment de la résurrection,* tout en lui étant coordonnés. »

Quibus sic se habentibus nostri textus interpretationem et originem successive inquiremus.

§ 1. — *Recta interpretatio Marci X, 45 = Matth. XX, 28 inquiritur* (1).

Genuini Marci X, 45 sensus determinatio, longiori commentario haud indiget. Christus, in dicto loco, apparitionis suae hunc esse finem asserit ut animam suam tamquam redemptionis multorum pretium ponat. Opus itaque messianicum in Messiae morte vicaria culmen obtinet, imo sacrificium crucis pro multis oblatum tamquam propria et essentialis ejusdem functio exhibetur. Quam interpretationem esse unicam possibilem, logii

(1) Utiliter hac de re conferri possunt : V. ROSE, *Etudes sur les évangiles,* p. 218 sq. Paris, 1902; G. HOLLMANN, *o. c.,* p. 99 sq.; BABUT, *La pensée de Jésus sur sa mort d'après les évangiles synoptiques,* p. 102 sq. Paris, 1897; M. KAEHLER, *Zur Lehre von der Versöhnung,* II, p. 75 sq. Leipzig, 1898; E. CREMER, *Die stellvertretende Bedeutung der Person Jesu-Christi,* p. 100² sq. Gütersloh, 1900; FR. BARTH, *Die Hauptprobleme des Lebens Jesu,* p. 192² sq. Gütershoh, 1903; H. WENDT, *Die Lehre Jesu,* II, p. 510 sq. Göttingen, 1890; RUNZE, *Erläuternde Bemerkungen zu Marc X, 45* in *Zeitschrift für wissenschaftliche Theologie,* p. 148 sq. 1889; RITSCHL, *Rechtfertigung und Versöhnung,* II³, p. 70 sq. 1889; STALKER, *Die Christologie Jesu,* p. 101 sq. Dessau, 1902; P. FEINE, *Jesus-Christus und Paulus,* p. 102 sq. Leipzig, 1902; J. B. STEVENS, *The Teaching of Jesus,* p. 140 sq. New-York, 1902; D. C. DAVIES, *The Atonement and Intercession of Christ,* passim, Edinburgh, 1901.

nostri tenorem, contextam orationem et fontem ad quem alludit absque praejudicata opinione presse consideranti, omni claritate desiderabili elucescit. Apud haec momenta paulisper sistamus oportet.

1. Imprimis quidem expressio λύτρον ἀντὶ πολλῶν, qua munus religiosum morti Christi competens describitur, citra soteriologiae stricte dictae conceptum explicari nequit. Praepositio enim ἀντί, sicut in litteratura profana, ita et in Veteris Testamenti versione septuagintavirali, et multo magis in Novi Testamenti graecitate, sensum causalem permutationis fundat, et conditionem hujus cujus loco aliud ponitur vel solvitur denotat. Quae praepositio si complexive cum voce λύτρον adhibeatur, nonnisi sensum pretii in liberationem soluti exprimere potest (1). Hinc Christus se animam suam λύτρον ἀντὶ πολλῶν positurum esse asseverans, morti suae pretii cujus solutione plures liberantur rationem manifeste vindicat.

Ex hoc solo criterio res in decisis esset, nisi recentius G. Hollmann, locupletissimae eruditionis cum apparatu, gravissima contra traditam interpretationem praejudicia attulisset. At doctus exegeta, adhibita retroversionis methodo, textum nostrum in linguam aramaicam, qua Christus usus est, restituere et sic restitutum interpretari suscepit. Considerationes ab ipso in medium adductae ad sequentia capita satis congrue reducuntur. 1° Regnans hucusque opinio, juxta quam vox λύτρον tamquam versio hebraici כפר habita est, duplici argumento erronea demonstratur. Imprimis quidem, ex versionis septuagintaviralis, cujus auctoritate solemnis identificatio λύτρον = כפר innitebatur, examine, eadem nedum suadeatur, admodum suspecta

(1) Inter alia plura loca quae adduci possent, praepositio ἀντί permutationis sensum in sequentibus textibus sortitur : 1° Matth. V, 38 : Ἠκούσατε ὅτι ἐρρέθη · ὀφθαλμὸν ἀντὶ ὀφθαλμοῦ, καὶ ὀδόντα ἀντὶ ὀδόντος, 2° I Petri III, 9 : μὴ ἀποδιδόντες κακὸν ἀντὶ κακοῦ, 3° Rom. XII, 17 : μηδενὶ κακὸν ἀντὶ κακοῦ ἀποδιδόντες; 4° Luc. XI, 11 : ἀντὶ ἰχθύος ὄφιν; 5° Heb. XII, 16 : ὃς ἀντὶ βρώσεως μιᾶς, ἀπέδετο τὰ πρωτοτόκια ἑαυτοῦ; 6° Heb. XII, 2 : ὃς ἀντὶ τῆς προκειμένης αὐτῷ χαρᾶς, ὑπέμεινεν σταυρόν. Porro, allata exempla sunt ad rem et quidem omnia, quod H. Wendt, *o. c.*, p. 512, immerito in dubium revocat.

evadit. Vox quippe λύτρον tamquam plurium vocabulorum hebraicorum, inter quae כפר et derivata radicis פדה numeranda obveniunt, versio apud LXX prostat; insuper ipsa vox כפר nec modo uniformi, nec in dimidia locorum parte voce λύτρον redditur; denique derivatis ex radice פדה vox λύτρον semper correspondere videtur. Quibus sic se habentibus, versionis septuagintaviralis auctoritas, ad traditionalem opinionem firmandam, jam apparet deficiens.

Accedit autem et animadversio haec, in ipsa vocis λύτρον in linguam aramaicam retroversione fundata. Vox hebraica כפר voci כופרא correspondet : haec autem est inusitata et usui inhabilis; Christus itaque eamdem non adhibuit. Argumentationis antecedens firmatur : *a)* ex eo quod, teste Levy, in tota litteratura talmudica et midrachica vocabulum voci כופרא correspondens nonnisi semel usitatum prostet; quodque *b)* in lingua syriaca, vox « Kufro » ad conceptum pretii soluti numquam adhibita reperiatur. Quibus ex capitibus, G. Hollmann ab opinione traditionali recedendum judicat. Eamdem hunc in modum exortam censet : ubique jam vulgata soteriologia paulina, vocem λύτρον, quam apud LXX ut vocis כפר versionem quandoque usurpari deprehenderunt, tamquam technicam, ad conceptum satisfactionis vicariae reddendum, expressionem assumpserunt.

2° Loco impugnatae solutionis, eruditus exegeta hanc alteram λύτρον = פדיון = פורקן auctoritati versionis septuagintaviralis et versionum syriacarum pari jure innixam, ulterius adstruere nititur (1). Qua posita, ad aperiendum nostri textus sensum hunc in modum procedit. Radix פרק, quacum vox aramaica פורקנא cohaeret, triplicem notionem exprimere potest : significat quippe : 1° aliquid ab aliquo removere, 2° redimere, 3° liberare. Unde vitam se pro multis traditurum asserit Christus vel in redemptionis pretium, vel in liberationem sensu latiori intellectam. Utervis autem sensus ab ipso intentus fuerit, tum totius phraseos structura, tum contexta oratio conficere debent. Jamvero utrumque criterium assignatum, generaliorem liberationis sensum, consentientia vindicant. Imprimis quidem ex

(1) *O. c.*, p. 108.

tribus constructionibus possibilibus, quibus verba ἀντὶ πολλῶν sive : 1° ad λύτρον, sive 2° ad ἦλθεν id est ad totius phraseos priorem partem, sive 3° ad δοῦναι referrentur, sola tertia grammaticae exigentiis satisfacit. Huic autem constructioni solus generalior liberationis sensus coaptari potest, et locutio praegnans a Christo adhibita huc redit : venit filius hominis non ministrari sed ministrare et dare animam suam in liberationem, loco hujus quod multi animam suam ponere debeant.

Quae interpretatio, quae a satisfactionis vicariae conceptu longissime distat, per contextam orationem ulterius confirmatur : Dominus enim mortem suam ac vitam in eadem linea reponit; porro per integrum vitae suae publicae ministerium poenitentiae seu μετάνοιας sensus apud coaevos suos excitare et fovere sibi proposuit. Per voluntariam itaque vitae traditionem, illos qui praedicationem suam indifferentes vel rebellantes acceperant ad resipiscentiam ducere speraverit.

*
* *

Sententiam G. Hollmann dijudicaturi, duas quaestiones sedulo distinguendas hic praejacere, in antecessum notatum velimus : altera circa ipsum Marc. X, 45 = Matth. XX, 28 tenorem hodiernum versatur, altera primitivi fontis, quem evangelistae graeco idiomate reddiderunt, sensum spectat. Jam autem prolata argumentatio priorem quaestionem nequidem tangit, adeoque commentarium quo tenoris graeci sensum aperuimus integrum relinquit. Qui enim, quum ex traditionali λύτρον = כפר identificatione valorem suum nequaquam hauriat, sed in ipso usu vocum λύτρον et ἀντί et quidem juxta significationem quam in nostris fontibus sortiuntur spectato, innitatur, ex fontium examine solvi aut enervari nequit. Imo si ad fontem immediatum, juxta quem Marcus vocabularium suum theologicum composuit, convertamur, egregiam nostrae interpretationis confirmationem reperiemus. Marcus enim — quem et Matthaeus hic sequitur, diu cum Paulo versatus, ab hujus influxu formali certe alienus non remansit. Jamvero, Paulum esse prae ceteris hagiographis soteriologiae et quidem satisfactionis vicariae a Christo pro nobis susceptae, doctorem, et doctrinae suae expressionem

technicam vocem ἀντίλυτρον constituisse neminem latet. Quo posito, potestne concipi Marcum sub eadem terminologia doctrinam specifice diversam tradere?

Verum ex prolatis considerationibus, modificationis ab evangelista in sententiam Christi introductae possibilitas non excluditur. Disputanda itaque occurrit altera quaestio haec, utrum Marcus (vel primitiva communitas) sententiae Domini indebitam versionem dederit. Affirmanti Hollmann sequentes considerationes opponimus :

Data etiam nova retroversione ab ipso propugnata λύτρον = פורקן, strictiorem redemptionis sensum ipsa phraseos structura indubie exigit. Absolute loquendo, triplex constructio grammaticalis possibilis occurrit : determinativum quippe ἀντί πολλῶν sive ad ἦλθεν (δοῦναι) — ut opinantur Ritschl (1), Schmoller (2) et B. Weiss (3) —, sive ad δοῦναι — ut censent Kühl (4), A. Seeberg (5) et G. Hollmann (6) —, sive tandem ad λύτρον — quod Feine (7), Zahn (8) et Rose (9) tuentur, referri potest.

Prima autem constructio statim ut inepta exploditur : vox quippe ἦλθεν ab ἀντὶ πολλῶν longius distat; dein, si talis loci sit tenor, Christus se non venire διακονηθῆναι ἀντὶ πολλῶν dixisset; quod est absonum. Tertiam autem constructionem prae secunda ulterius commendat : 1° ipse verborum locus : sicut enim δοῦναι in verbis τὴν ψυχὴν complementum suum habet, ita vox λύτρον additione ἀντὶ πολλῶν determinatur. Et si aliam relationem hagiographus intendisset, vocem λύτρον post ἀντὶ πολλῶν retulisset. — Observat quidem A. Seeberg talem constructionem

(1) *O. c.*, II, p. 85.

(2) *Das Selbstzeugnis Christi vom Heilswert seines Todesleidens*, Matth. XX, 28, in *Beweis des Glaubens*, IV, p. 176 sq. 1885.

(3) *Lehrbuch der biblischen Theologie des Neuen Testament*, p. 77. Stuttgart und Berlin, 1905.

(4) *Die Heilsbedeutung des Todes Jesu*, p. 92.

(5) *O. c.*, p. 350.

(6) *O. c.*, p. 110 sq.

(7) *Jesus-Christus und Paulus*, p. 115 sq. Leipzig, 1902.

(8) *Das Evangelium des Matthäus ausgelegt (Kommentar zum Neuen Testament)*, t. I, a. h. l. Leipzig, 1905.

(9) *Etudes sur les Evangiles*, p. 253 sq. Paris, 1902.

apud LXX penitus desiderari, adeoque eamdem nec hic verisimiliter prostare. Verum talis objectio de facili retunditur. Etsi enim constructio formaliter eadem apud LXX obvia non occurrat, constructiones simillimae certe non deficiunt: ita Exod. XXI, 30, Levit. XXV, 51 legitur λύτρον πολλῶν; et Num. XXXV, 32 λύτρον περὶ πολλῶν. Jam autem praepositiones περί et ἀντί in Novi Testamenti graecitate saepius ut aequipollentes adhiberi apud omnes in confesso est. Imo tempore neo-testamentario, nimirum apud Josephum expressio λύτρον ἀντὶ πάντων, et quidem in eodem quem tuemur sensu, usurpata legitur. Accedit 2° et consideratio haec: quum praepositioni ἀντί commutationis sensus competat, si ἀντὶ πολλῶν ad δοῦναι referatur, sequeretur Christum dixisse se animam traditurum, loco hujus quod alii propriam animam ponere debeant. Et revera G. Hollmann, sibi hac in re consequens, juxta hanc paraphrasim textum nostrum interpretatur. At tali interpretatione praeclarus nostri loci sensus inintelligibilis imo absonus redditur. Homines enim sicut ante Christi sacrificium ita et post illud morti obnoxios esse, nec ullum bonum religiosum ex morte sua praecisive sumpta lucrari, nimis manifestum est. — Desperatam causam ut salvet, advertit Hollmann vocabulum « ψυχή » ab hagiographo aequivoce adhiberi et genuinum constructionis praegnantis δοῦναι τὴν ψυχὴν ἀντὶ πολλῶν sensum huc redire : Christus animam suam dabit in mortem, loco hujus quod homines propriam animam in perditionem tradant. At ipse evangelista talibus subtilitatibus non est immoratus : vocem quippe « ψυχή » nedum aequivoce audiat, nequidem bis expressit; expressione δοῦναι τὴν ψυχήν mortem indubie indigitat : qua autem ratione homines moriendo in perditionem animam tradant, non bene intelligimus!

Nunc autem in adstructa constructione, qua פרקן per verba ἀντὶ πολλῶν determinatur, sensus strictior redemptionis, saltem longe probabilior sinon et unicus possibilis apparet. Ut enim scite observat P. Feine, quivus conatus vocem ἀντί citra commutationis sensum intelligendi, non potest non esse vanus, et latior liberationis sensus, si fuisset intentus, simpliciori constructione פרקן πολλῶν exprimendus fuisset.

2. Ex critica itaque philologica, sententia nostra saltem

longe probabilior probatur. Quum tamen hagiographum integram expressionem λύτρον ἀντὶ πολλῶν juxta liberiorem et tendentiosam aramaici tenoris versionem efformasse, possibile remaneat, ad ipsum fontem ad quem Christus respexerit convertamur oportet. Porro, textum nostrum inter argumenta, quibus innixi, Christum se cum servo-Jahveh Deutero-Isaiae identificasse demonstraremus, supra jam attulimus. Propter essentiale rei momentum, quaestionem denuo et sedulius tractandam assumimus.

Rationes quae Isaiae LII, 13-LIII tamquam litterarium nostri logii fontem, simul et propheticum typum sub quo Jesus se agnovit, praemonstrent, in compendium retractatae, sic se habent. 1° Ipsam rem quod attinet, non potest non animadverti respectivae situationis ebed-Jahveh et Jesu parallelismus : quum enim uterque sit et habeatur communitatis dux et magister, et ideo jus ad obsequia habeant (διακονηθῆναι), omnium tamen servos se constituunt. Et summum uterque servitium praestant, ipsam vitam in redemptionem hominum offerendo. Adde tandem utriusque servitium eamdem sortem, gloriosam nimirum dominationem sortiri : quam supra servo Jahveh vindicavimus; de Christo autem, ex contexta oratione in qua et filiis Zebedaei martyrium ceu conditio consecutioni gloriae praevie requisita praedicitur, de facili colligi potest. 2° Ad ipsam formam si jam convertamur, mira expressionum inter Isaiae LIII, 11 et 12 et Marc. X, 45 similitudo oculos statim incurrit : *a)* propheta v. 11 servo expressionem εὖ δουλεύοντα πολλοῖς applicat; porro eumdem conceptum Marci X, 45 διακονῆσαι infert; *b)* expressioni δοῦναι τὴν ψυχήν proxime cognata est haec, in versione septuagintavirali v. 12 occurrens : ἀνθ' ὧν παρεδόθη εἰς θάνατον ἡ ψυχὴ αὐτοῦ; *c)* vox πολλοί quae hic a Domino adhibetur, v. 12 pariter occurrit, et quidem utrobique eodem munere fungitur : illos enim pro quibus hinc ebed-Jahveh, hinc Christus vicariam mortem subeunt, designat. Insuper allata vox, quae in Deutero-Isaia ex contextu clarescit, in ore Domini sat indeterminata videtur : quod quidem novum dependentiae litteriae indicium suppeditat. Synopticum utriusque loci schema omne dubium tollere natum videtur :

Is. LIII, 10 sq.	Marc. X, 45.
ἀνθ' ὧν παρεδόθη εἰς θάνατον ἡ ψυχὴ αὐτοῦ... καὶ ἁμαρτίας πολλῶν ἀνήνεγκεν, διὰ τοῦτο αὐτὸς κληρονομήσει πολλούς.	ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ἦλθεν δοῦναι τὴν ψυχὴν αὐτου λύτρον ἀντὶ πολλῶν.

H. J. Holtzmann (1) et Joh. Weiss (2) textum nostrum, pro hypothesi quod authenticus sit nec influxu paulino adulteratus, psalmum XLIX, 8 sq. respicere asseverant : « Frater non redimit, redimet homo; non dabit Deo placationem suam, et pretium redemptionis animae suae et laborabit in aeternum (3)... » Et revera citatam psalmistae pericopen cum Marc. X, 45 in eadem linea reponendam esse non infitiamur. Insuper, ubi Dominus Marc. VIII, 37 rogat : τί γὰρ δοῖ ἄνθρωπος ἀντάλλαγμα τῆς ψυχῆς αὐτοῦ; infinitum animae humanae quae nullo pretio terrestri redimi potest, valorem, sicut et psalm. XLIX exprimit. Verum, allegatus parallelismus ad summum allusionem denotat, et certe litterariam quam inter Isaiae LIII et Marc. X, 45 adstruximus cognationem, solvere nequit.

Advertit quidem G. Hollmann vocabulum λύτρον, in textu marciano essentiale, apud Isaiam frustra requiri, hancque absentiam in casu litterariae dependentiae esse inexplicabilem. Ad hanc observationem reponimus logion Marci X, 45 quasi integrum Isaiae c. LIII in compendium retractasse, adeoque ad probandam cognationem sufficere ut realis sententiarum et praecipuorum vocabulorum adhibitorum sit parallelismus. Jam autem vox λύτρον assertioni prophetae ebed-Jahveh aliorum ferre peccata expianda, adaequate correspondet. Quibus positis, quaevis nostri textus interpretatio, in qua Christi supremum

(1) *Lehrbuch der neutestamentlichen Theologie,* I, p. 295.

(2) *Die Predigt Jesu vom Reiche Gottes,* 103_2 sq., 197^2 sq. Göttingen, 1900.

(3) F. Baethgen, *Die Psalmen übersetzt und erklärt,* Göttingen, 1904, p. 142^3 adductum psalmi XLIX (juxta Vulgatam XLVIII) hunc in modum reddit : 8. Nur wird heiner losgekauft werden, er kann Gott sein Lösegeld nicht zahlen, 9. Denn zu schwer ist der Loskauf ihrer Seele und so unterlässt er es für immer.

sacrificium tamquam humanae salutis pretium non comparet, et quivis conatus in primitivam Domini sententiam conceptum, a conceptu quem expressio λύτρον ἀντὶ πολλῶν infert, specifice diversum introducendi, radicali sterilitate laborant.

3. Remanet nunc ut nostri logii contextum immediatum investigemur : ad hunc enim, ut supra jam monuimus, plures critici, a redemptionis proprie dictae doctrina abhorrentes, confugiunt. Vitae Christi sacrificium aiunt, tamquam ministerii ab ipso peracti complementum hic exhibetur; jamvero ministerio Messiae terrestri influxus redemptorius nonnisi moralis seu ethicus competit; quapropter valor dogmaticus a Christi morte removendus est, haecque non alia ratione homines redemit, nisi quatenus eosdem ad poenitentiam provocavit (Hollmann), vel via exempli ad humilitatem, qua spiritus peccati et superbiae auferatur, allexit (Beyschlag).

Exposita sententia, systematis de regno Dei interno et morali, quod A. Ritschl in exegesim introduxit, quodque recentius A. Harnack et J. Wellhausen sua auctoritate confirmarunt, velatam defensionem constituit. Radicalioribus exegetis si credideris, Christus non esset nisi propheta — omnium certe maximus aut etiam filius Dei adoptivus —, ejusque munus redemptivum paternitatis Dei revelatione absolveretur. De quibus quaedam infra dicenda occurrent; pro nunc, utrum nostri logii contexta oratio tali systemati faveat, examinandum occurrit.

Colloquium ad quod Marc. X, 45 = Matth. XX, 28 pertinet, per petitionem filiorum Zebedaei sibi (Marc. X, 35 sq.) vel matris ipsorum ipsis (Matth. XX, 20) prima in regno Messiae glorioso loca desiderantium, introducitur. Quibus respondens Dominus, Joanni et Jacobo martyrium sub figura baptismi accipiendi et calicis bibendi, quo haereditatis coelestis partem accipiant, vaticinatur; ipsam vero primorum locorum petitionem semovet. Dein, contentionem mox inter discipulos occasione hujusce petitionis exortam Jesus solvit, tradita circa psychologicas quas a suis exigit dispositiones doctrina. Et ut generaliorem conditionem apud suos regni participationi requisitam, humile ministerium, a dominationis studio remotum, indigitat.

Quam ideam per triplex gradationis ascendentis stadium, ulterius evolvit : 1° v. 43 qui *inter vos* major fieri voluerit, erit vester minister; 2° v. 44 quicumque voluerit *in vobis* (relate etiam ad alios) primus esse, erit omnium servus; quae doctrina 3° sublimi ipsius Christi exemplo, qui non tantum per publicum ministerium aliis ministrat sed ipsam animam pro multis redemptionem ponit, commendatur (1).

Quam contextus oeconomiam sedulo perspicienti apparet Dominum commendare quidem et suo exemplo illustrare humilitatem, nihilominus tamen morti suae valorem per se stantem, multis scilicet redemptionis procurandae vindicare. Quod quidem, si denuo diversitatem versus 43 et 44 inter et v. 45 vigentem consideremus, planum fit. Discipulis enim commendat Messias humile ministerium ut *ipsi* in regno futuro bene se habeant; de se autem non sic : sed apparitionis suae finem et intimam rationem, ipsam hominum id est *aliorum* seu multorum (2) redemptionem per suam mortem operandam assignat.

(1) Cfr. etiam A. SCHWEITZER, *Die Messianität und Leidensgeheimnis*, p. 8 sq. Tübingen und Leipzig, 1901.

(2) Verbulum addendum superest circa sensum vocis « πολλοί » in expressione λύτρον ἀντὶ πολλῶν occurrentis. Quem quidem tum apud theologos, tum apud exegetas esse controversiae objectum, neminem latet. Calvinistae enim dictam vocem sensu restricto contra catholicos et lutheranos audiendam propugnant : exegetarum autem sententia, eorumdem quae circa nostri logii fontem defendunt placitis coaptatur. 1. Quum enim RITSCHL textum Marci X, 45 a Job XXXIII, 23 dependentem declarasset, RUNZE huic dependentiae innixus, vocem « πολλοί » mille angelos de quibus in dicto fonte sermo fit, designare defendit. Alii vero rati vocem « πολλοί » restrictionem continere aliquam, et, de cetero, apostolos jam ante Christi mortem redemptos et novae oeconomiae beneficiorum participes fuisse, determinatam hominum classem praemonstrari opinati sunt. B. WEISS, JOH. WEISS populum Israel aut christianam ecclesiam indigitarunt; KEIL, KÜBEL, BABUT regni coelorum membra sive credentes indicarunt; infideles ad poenitentiam revocandas exhibuit G. HOLLMANN. Tandem non pauci critici ut A. SEEBERG, P. FEINE, TH. ZAHN de integro genere humano sermonem moveri defenderunt. — Quum tuiti simus Isaiae LIII sensu litterali de Christo intelligendum esse, et ab altera parte, vox πολλοί, in loco indicato, bis usurpata occurrat : 1) ἁμαρτίας πολλῶν ἀνήνεγκεν, 2) διὰ τοῦτο αὐτὸς κληρονο-

* * *

Stet itaque conclusio : sententia a Marco X, 45 et Matthaeo XX, 28 in ore Christi reposita, soteriologiae stricte dictae, qua nimirum relationes Dei cum hominibus per mortem Domini regulari putantur, conceptum indubie fundat. Quem conceptum, tum fons quem eadem sententia reproducit, tum contexta oratio in qua haec obvia occurrit, nedum labefactent, mirum in modum confirmant.

§ 2. — *Definitae sententiae origo inquiritur.*

Alterum quaestionis aspectum, ipsam nempe definitae sententiae originem jam consideremus oportet. Ut supra monebamus, argumenta quibus O. Pfleiderer, A. Loisy, H. J. Holtzmann et alii eamdem ex theologia paulina enatam aut juxta eamdem retractatam esse, suadeant recensentur praecipua haec : 1° color paulinus evangelii secundum Marcum in genere et nostri logii in specie; 2° silentium Lucae; 3° caracter spurius expressionis adhibitae « filius hominis »; Quae successive examini subjicere juvat.

I. Disputatissima est et in varios sensus soluta quaestio quae spectat modum et rationem juxta quae Marcus apostoli gentium influxum subierit et in suo scripto manifestaverit. Dum enim

μήσει πολλούς, dicta vox duplicem interpretationem suscipere potest. Si sermo fiat de *sufficientia* valoris sacrificalis mortis Christi, opinioni A. Seeberg, Zahn etc. eo minus contradicemus quod vox πολλοί de integro genere humano in epistola ad Romanos V, 12 sq. usurpata occurrat, quodque in cantibus ebed-Jahveh passio servi universalem significationem sortiri videatur; si vero realem mortis suae *efficaciam* Christus prae oculis habuerit, quod quidem figura pretii soluti improbabile, non impossibile reddit — sola restricta significatio superest. Quibus sic se habentibus, praeferimus dicere cum H. J. Holtzmann, *Die Synoptiker (Handkommentar zum Neuen Testament)*, Tübingen und Leipzig, 1901, p. 160, in expressione prout jacet, *multos* unice per oppositionem ad *unum* salvatorem filium hominis dici, et determinatam interpretationem hac in materia, ex solo Marc. X, 45 non esse deducendam.

Tubingianae scholae placitis adhaerentes, Volkmar (1), Holsten (2), O. Pfleiderer (3) intimam rationem evangelii Marci ex luctis quas tempore apostolico paulinismum inter et judaeo-christianismum seu petrinismum viguisse sibi effingunt, determinare studeant, in extremum tendens oppositum P. Wernle (4) idem evangelium citra omnem Pauli influxum compositum esse, demonstrare suscepit. Media vero via incedentes non pauci critici ut von Soden (5), P. Feine (6), A. Resch (7) hunc quem obvie ex commercio quod inter apostolos et ipsorum in praedicatione coadjutores, necnon ex loco quem in Ecclesiae primitivae evolutione apostolus gentium sortitus est, exspectamus influxum admittendum esse opinati sunt. Porro, haec posterior, prout sub generali tenore sonat sententia, magnam prae se fert verisimilitudinem nec a priori ex motivis dogmaticis removeri potest. Marcum enim, praeprimis quidem, ut Papias testatur, Petri asseclam, Pauli etiam discipulum fuisse ex Apostolorum Actis et captivitatis epistolis paulinis facile colligitur. Ab altera quidem parte, in Ecclesia primitiva, sive activitate apostolica et missionum successu, sive doctrinae facilitate et splendore, Paulum nemini fuisse secundum apud omnes in confesso est. Quibus positis, nonne in conficiendo evangelio et quidem in eumdem, cui Paulus praedicans inserviebat, propagandae nimirum fidei christianae apud gentiles finem, Marcus ut tanti

(1) *Die Evangelien oder Marcus und die Synopsis*, p. 643 sq. (1870).

(2) *Die synoptischen Evangelien nach der Form ihres Inhaltes*, p. 179 sq. Heidelberg, 1885.

(3) *Das Urchristentum, seine Schriften und Lehren*, I, p. 401² sq. Berlin, 1902. — Ampliorem bibliographiam reperies apud H. J. Holtzmann, *Lehrbuch der neutestamentlichen Theologie*, I, p. 423 sq. Freiburg und Leipzig, 1897.

(4) *Die Synoptische Frage*, p. 199, Tübingen, 1899.

(5) *Theologische Abhandlungen Carl von Weissäcker gewidmet*, p. 143 sq., Tübingen, 1892.

(6) *Jesus-Christus und Paulus*, p. 135 sq., Leipzig, 1902.

(7) *Der Paulinismus und die Logia in ihrem gegenseitigen Verhältnis untersucht*, in *Texte und Unters.* Neue Folge, Bd. X, passim, 1904. — Eruditus auctor cognationem Paulum inter et Marcum intercedentem ulterius explicat ex communi fonte scripto, quem uterque hagiographus adhibuerint.

magistri in eligendis materiis solertiam et in enarrando linguam imitaretur, quasi sponte adduci debuit?

Ne tamen ultra veritatis et verisimilitudinis limites progrediamur monet egregia doctrinae Marci sobrietas et expositionis, primitivo colore illustratae et ab omni dogmatica praeoccupatione, ut primo saltem aspectu videtur, remotae objectivitas. Et ut cetera taceamus, nonne solidum historicitatis secundi evangelii in hoc prostat argumentum, quod ipsius auctor, etsi Pauli doctrinam egregie edoctus, conceptus multo minus ac est apostoli theologia evolutos tradat? Hinc, quem Tubingiani extollunt Marci paulinismum, generalis evangelii indoles inadmissibilem demonstrat. Quam assertionem ex capitibus magis particularibus firmare ideo non est necessarium, quod ipsi Tubingianae scolae fautores de tendentia hagiographo adscribenda non conveniant. Propugnat enim Volkmar Marci evangelium in apologiam Pauli contra Apocalypsim ita confectam esse ut singulae narrationes tamquam sensibiles theologiae paulinae repraesentationes, generalis autem ejusdem textura in scopum apologeticum exarata, habenda sint. Holsten vero secundum evangelium ut retractationem Matthaei paulina manu factam considerat.

Verum si Marcus sine respectu ad praetensas primitivae communitatis luctas doctrinales evangelium suum composuit, nullatenus consequitur eumdem ex suo cum apostolo et ab eodem fundatis communitatibus commercio nullam pro se suoque scripto cognitionem hausisse. Pluribus imo criticis ut W. Brückner (1), H. J. Holtzmann (2), Joh. Weiss (3) sicut in pluribus aliis materiis ita et praecipue in soteriologiae quaestione, identitas doctrinae et quidem in influxu paulino fundata Marcum inter et apostolum admittenda videtur. Muniunt se autem sequentibus rationibus : 1° ubi de passione et morte Christi in secundo evangelio sermo fit, haec eidem necessitati divinae, quam in eadem materia Paulus adinvenit, subjacere statuuntur : magnae epistolae paulinae, in quibus apostolus de persona et

(1) Cfr. FEINE, *o. c.*, p. 157.

(2) *Lehrbuch der neutestamentlichen Theologie*, I, p. 422 sq. Freiburg und Leipzig, 1897.

(3) *Das älteste Evangelium*, p. 94 sq. Göttingen, 1903.

opere Messiae speculatur, et orationes quas Dominus juxta Marcum circa exitum suum protulisse refertur, si comparentur inter se, similes utrinque conceptus statim deprehenduntur. 2° Marcus XV, 38 scissionem veli templi mortem Domini comitantem legendarie refert, quo veterem legem et cultum judaicum finem accepisse et homines immediatas cum Deo relationes jam inire, symbolice exprimat : quam conceptionem paulinismum sapere apud omnes in confesso est. 3° Dogmatis instar apud exegetas admittitur universalismum in re salutis ex Pauli speculationibus esse enatum, et cum doctrina quae specifice ad Christum sive ad communitatem primitivam pertineat non cohaerere; porro secundus evangelista eamdem doctrinam ipsi Christo jam adscribit : XIII, 10, XIV, 9 sq. 4° Tandem ipsa terminologia Marciana Pauli influxum denotat : sic I, 14 ... κηρύσσων τὸ εὐαγγέλιον τοῦ Θεοῦ, ὅτι πεπλήρωται ὁ καιρὸς... πιστεύετε ἐν τῷ εὐαγγελίῳ etc.

Quae ut rite dijudicemus, apostoli influxum doctrinalem et formalem sedulo distinguamus oportet. Si enim posueris doctrinam ab ipso Christo traditam in ore et sub calamo Pauli graecam et theologicam formam assumpsisse, Marcum autem ob suas cum apostolo relationes, ejusdem vocabularium suum fecisse, exspectanda quidem erit inter utriusque hagiographi scripta cognatio formalis, quin ideo influxus doctrinalis admittendus sit. Jam autem dum priorem simpliciter admittimus, alterum ex adductis considerationibus non demonstrari reputamus.

1. Determinismo aliquo divino vitae Domini facta apud utrumque hagiographum regulari libenter fatemur. Vox enim δεῖ Marc. VIII, 31 occurrens officium quod juxta Patris mandatum, libera tamen voluntate Christo obeundum incumbit denotat. Ab altera parte apud gentium apostolum et epistolae ad Hebraeos auctorem, theologiam paulinam bene edoctum, redemptionis opus ex concurrente Patris et Filii actione perfectum exhiberi, apud omnes in confesso est. Verum posito Jesum sortem suam praevidisse, imo in Veteris Testamenti vaticiniis praestabilitam scivisse, posito ipsum tentationem in deserto victrici patientia superasse et loco messianitatis gloriosae humile ministerium quod in Calvariae vertice consummaretur sibi sele-

gisse, nihil obstat quominus eo quo dicit evangelista modo, vere locutus sit. Insuper quum idem determinismus apud Matthaeum et Lucam, et quidem iis in locis in quibus a Marco non dependent (Matth. XVII, 12; Luc. IX, 31; XIII, 33; XVII, 25; XVIII, 31; XXII, 15, 37; XXIV, 7) obvius occurrat, etiam hos aut eorum fontem paulinismo adulteratos, aut nobiscum historicos proclamare oportebit.

2. Veli templi scissio XV, 38 relata plura quidem problemata quorum examen nostrae inquisitionis ambitum longe praetergrederetur, suscitat. Hoc unice monemus, quod a quo Th. Zahn (1) extracanonica circa facta mira quae in templo hierosolymitano tempore quod cum Christi morte coincidere videtur, accidisse referuntur, documenta collegit, evangelicae narrationis historicitas, sub respectu mere critico considerata non aegre sustineri potest. Insuper laconicam XV, 38 indicationem, in evangelio in quo symbolismus ferme non occurrit, figurato sensu novae œconomiae institutionem praemonstrare, gratuito affirmaretur. Non enim videtur hagiographus specialem scopum praeter generalem Domini dignitatem demonstrandam intendisse.

3. Tandem tempore conscriptionis secundi evangelii universalismus in re salutis inter communia theologiae placita numerabatur : quocirca ex eodem influxus specifice paulinus deduci nequit. Nostra itaque facimus verba A. Jülicher (2) : « Was unser Evangelium (Marci) vom theologischen Standpunkte seines Verfassers erkennen lässt, passt durchaus zu dem obigen Ergebnis. Man hat ihm die verschiedensten Tendenzen untergeschoben; nach dem Einen ist es gnesiopaulinisch, nach dem Andern rein urapostolisch, nach wieder Anderen das Evangelium der bewussten Farblosigkeit bestimmt durch Beseitigung aller radicalen Ausserungen von hüben und drüben die Versöhnung auf evangelischem Boden zu besiegeln. Das Alles ist hineingelegt; aus ihm selber ist keine andere Tendenz zu entnehnen als die,

(1) Cfr. J. Belser, *Die Geschichte des Leidens und Sterbens, der Auferstehung und Himmelfahrt des Herrn*, p. 455 sq. Freiburg, 1903.

(2) *Einleitung in das Neue Testament*, p. 252[4]. Tübingen und Leipzig, 1901.

das Evangelium von Jesus Christus recht ergreiflich zu machen, Jesu Herrlichkeit aus seinen Worten und Werken zu erweisen, also die Tendenz die jedes Evangelium haben musste. »

*
* *

Ex statutis relationibus, quibus Paulo Marcus generatim colligatur, omni verisimilitudine carere apparet sententiam illorum qui cum O. Pfleiderer, A. Loisy et aliis logion Marci X, 45 = Matth. XX, 28 sub influxu soteriologiae paulinae et in finem eamdem auctoritate Domini communiendi, adinventum esse propugnant. Posita insuper pericope Marci X, 35 sq. quam supra determinavimus œconomia, in qua idem logion connaturalem locum sortitur, moralis in favorem ejusdem authentiae certitudo exsurgit. Cujus nunc nova confirmatio, si relationem Marci X, 45 inter et I Tim. II, 6 intercedentem consideremus, de facili reperietur.

Marc. X, 45, ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου.... ἦλθεν δοῦναι τὴν ψυχὴν αὐτοῦ λύτρον ἀντὶ πολλῶν.	I Tim. II, 6, ... ἄνθρωπος χριστὸς Ἰησοῦς δοὺς ἑαυτὸν ἀντίλυτρον ὑπὲρ πάντων.

Profundam inter utrumque locum similitudinem prostare, nemo sane infitiabitur : ejusdem autem ratio et origo inquirenda supersunt (1). A. Resch (2) ratus litterariam cognationem hic

(1) Notandum obvenit similitudinem quae inter I Tim. II, 6 et Marc. X, 45 deprehenditur nonnisi in hypothesi authentiae I^ae ad Timotheum aut saltem anterioritatis ejusdem prae Marco difficultatem facere. Porro auctores radicales qui Marc. X, 45 influxui paulino adscribunt, epistolarum pastoralium authentiam impugnare earumque compositionem ad saec. II referre solent : ita H. J. HOLTZMANN, O. PFLEIDERER etc. Qua sententia posita, quum secundum evangelium indubie ad I^um saec. pertineat, cognatio litteraria (Marc. X, 45 et I Tim. II, 6) si adesse asseratur, in sensu $\frac{\text{Marc.}}{\text{I Tim.}}$ solvenda esset. Nos vero, quum Paulum ut auctorem principalem epistolarum pastoralium consideremus, I^am Tim. ut Marco anteriorem consideramus, et juxta hanc sententiam loquimur.

(2) *Der Paulinismus und die Logia Jesu (Texte und Unters.* Neue Folge, Bd. XII), p. 349 sq. Leipzig, 1904.

agnoscendam, eamdem explicare satagit statuendo, verborum Domini collectionem, hebraico sermone exaratam, Paulo sicut et Marco ad modum fontis inserviisse. Cui sententiae eruditus auctor veritatis speciem ut tribuat, hunc in modum arguit : sententiae Domini fons est psalmus XLIX, 9, et vocabula λύτρον et ἀντάλλαγμα graece reddunt voces hebraicas copher et pidjon (Num. XXXV, 31, Exod. XXI, 30). Jamvero Paulum sententiae apud Marc. X, 45 obviae fontem hebraicum cognovisse, ex usu quem facit vocis τιμή (I Cor. VI, 20 ἠγοράσθητε τιμῆς, et VII, 23 τιμῆς ἠγοράσθητε) necnon vocabulorum ἀντίλυτρον (I Tim. II, 6) et ἀπολύτρωσις (Tit. II, 14) elucet. Expressionem autem נתן נפשו = διδόναι τὴν ψυχὴν αὐτοῦ Paulus reddidit verbis, sub ratione graecitatis magis conquisitis : διδόναι (παραδιδόναι) ἑαυτόν, I Tim. II, 6; Ephes. V, 25; Gal. I, 4; loco praepositionis ἀντί quam habent duo priores synoptici posuit ὑπέρ vel περί ut versionem hebraici תחת. Conclusionis instar primitivam verbi Domini formam A. Resch hunc in modum restituit :

Hebraice :	בן־האדם	נתן	נפשו	כפר	תחת־רבים
Paulus :	ἄνθρωπος	δοὺς	ἑαυτὸν	ἀντίλυ- τρον	ὑπὲρ πάντων.
Synopsis :	ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου	δοῦναι	τὴν ψυχὴν αὐτοῦ	λύτρον	ἀντὶ πολλῶν.

In exposita sententia textus de quo inquirimus authentiam egregio modo servari, necnon parallelismum inter Marc. X, 45 et I Tim. II, 6 existentem apte explicari manifestum est. Cur tamen eidem non adhaereamus, rationes sunt sequentes : 1° in praesenti exegeseos statu, collectionis verborum Domini, hebraico sermone compositae et quam gentium apostolus adhibuerit, existentia nobis non probatur. 2° Ut supra confecimus, sententia Christi, etsi realiter cum psalmo XLIX, 8 sq. cohaereat, Deutero-Isaiae c. LIII tamquam fontem litterarium adhibuit : quo posito, argumentatio qua Resch Paulum ejusdem

sententiae fontem hebraicum vel quemlibet fontem scriptum cognovisse conficiat, deficiens apparet : vocabula enim ἀντίλυτρον, τιμή etc. ad vertendam graece sententiam aramaicam, etiamsi eamdem ex traditione tantum orali cognoverit, ab apostolo obvie assumi debuerunt.

* * *

Semota itaque ut non probata sententia Resch, duplex hypothesis possibilis superest : vel Marcus pendet a Paulo, vel Paulus pendet a fonte orali quem et Marcus immediate vel in documento scripto adhibuit. Jamvero contra priorem hypothesim, praeter considerationes supra adductas sequentes animadversiones alte loquuntur. 1° Praeprimis sedulo notandae sunt differentiae quae inter Marc. X, 45 et I Tim. II, 6 deprehenduntur. Explicari enim nequit in impugnata hypothesi, quanam motus ratione Marcus formam paulinam meliori graecitate concinnatam immutasset. E contra, gentium apostolum, utpote theologum agentem, libere adhibuisse et sub respectu formali retractasse Christi verbum quod ex traditione orali mutuatus erat, quodque Marcus, historiographus, fideliter servavit, facile intelligitur. Jam autem descriptae suppositioni, respectivus textuum Marci X, 45 et I Tim. II, 6 egregie correspondet. Christus enim, in compendium retrahens Isaiae LIII 11 et 12 expressionem *dare in mortem animam suam*, quae ibidem occurrit, necnon satisfactionis *pro multis* oblatae conceptum, ibidem pariter expressum, obvie retinuerit : porro, eadem apud synopticos in verbis δοῦναι τὴν ψυχὴν αὐτοῦ... ἀντὶ πολλῶν, servata reperiuntur; Paulus vero loco prioris elegantius δοὺς ἑαυτον posuit; quantum ad secundum, « multos » in « omnes » immutavit. Quae posterior differentia est caracteristica omnino, et contra impugnatam hypothesim decisiva. Quomodo enim Marcus, universalismum in re salutis quum propugnaret, et opus quod gentium evangelizationi inserviret conscriberet, vocem « omnes » in « multos » immutare potuisset, intelligi nequit. De Paulo vero, quod pro « multos » « omnes » posuit, est undequaque connaturale : Domini morti — et certe in fine activitatis suae apostolicae, ad quem I Tim. pertinet — valorem

qui toti generi humano destinetur, realem autem efficaciam apud solam communitatem christianam sortiatur, agnoscendum statuit : quapropter primitivam sententiae Domini formam in sensum universalismi obvie retractavit. Et simili modo retractavit et institutionis eucharisticae formulam : quum enim Christus, documentis traditionis petrinae (Marc. XIV, 24; Matth. XXVI, 28) testibus, sanguinem suum pro multis ὑπὲρ πολλῶν effusum iri testatus esset, Paulus hanc expressionem, quam de reali efficacia mortis Jesu interpretabatur, in hanc alteram ὑπὲρ ὑμῶν I Cor. XI, 24 convertisse videtur. Ex inspecto itaque formali tenore Marc. X, 45 et I Tim. II, 6 legitime infertur hunc posteriorem textum priori ad modum litterarii fontis nequaquam inserviisse; sed omnia suadent Marcum fontem suum sive scriptum sive oralem fideliter reproduxisse, Paulum autem Christi logion, quod ex orali traditione cognovit liberius adhibuisse.

2° Ipse apostolus se suam doctrinam soteriologicam a traditione accepisse explicitis verbis testatur. Dicit enim I Cor. XV, 3-4 : παρέδωκα γὰρ ὑμῖν... ὃ καὶ παρέλαβον... ὅτι Χριστὸς ἀπέθανεν ὑπὲρ τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν κατὰ τὰς γραφάς : sicut ipse Corinthiis tradidit, ita ipsi traditum est Christum pro peccatis nostris secundum Scripturas mortuum esse. Quo testimonio motus A. Harnack pro certo tenendum proclamat « Paulum mortis (et resurrectionis) Jesu valorem religiosum non adinvenisse sed a primitiva communitate traditum accepisse. » Quam Berolinensis professoris assertionem immerito labilem proclamat A. Loisy, ubi ait (1) : « Aequivocatio in prolata assertione forsan latet : primitiva communitas Christum mortuum esse, certe non ignoravit, et eumdem ante Paulum resuscitatum credidit. At circa Jesu mortem et resurrectionem diversae considerationes, quae primis christianis et Jesu et gentium apostolo indiscriminatim adscribi nequeunt, adinveniri possunt. Porro, ex Pauli I Cor. XV, 3 testimonio : Tradidi enim vobis imprimis quod et accepi quoniam Christus mortuus est pro peccatis nostris secundum Scripturas, nullatenus consequitur mortis expiatricis

(1) *L'Evangile et l'Eglise*, p. 68 sq. Paris, 1902.

ideam inde ab initio cum eadem quam in theologia paulina sortitur claritate, perspectam fuisse... Primi fideles mortis ignominiam resurrectionis gloria temperarunt; Paulus autem morti sensum et efficaciam quae a gloria resurrectionis non dependent, adinvenit. » — Verum aequivocatio, si quae adsit, indubie residet in assertionibus A. Loisy, qui nunc apostolo clariorem soteriologiae expositionem vindicat, nunc ipsam soteriologiae originem ejusdem speculationibus adscribit : hanc autem posteriorem positionem ipsa apostoli attestatio semovendam proclamat. Nec quidquam sibi lucratur doctus exegeta monendo historicum traditionis ad quam Paulus se refert caracterem urgendum non esse, ob verborum « secundum scripturas » praesentiam. Eadem quippe verba, sepulturae et resurrectionis mentioni versu immediate sequente addita reperiuntur : jamvero saltem sepulturam esse factum historicum, quod via traditionis historicae stricte dictae in Pauli cognitionem devenit, nemo jure infitiaretur. Doctrinae itaque soteriologicae origo theologica Pauli activitate antiquior apparet.

3° In antiquissimis tandem quae supersunt traditionis primitivae documentis redemptivus mortis Christi valor obvius occurrit (1). Exemplo sit prior Petri epistola. Fideles ut immaculatam

(1) Eorum quae defendimus probationem egregiam suppeditare potest antiquitatis documentorum, quae citra theologiae paulinae influxum composita reputantur analysis. Cujus categoriae documenta prior Petri epistola, et orationes in Actis Apostolorum servatae, afferri solent. I. Priorem Petri epistolam quod attinet, omnia quae circa soteriologicum mortis Domini valorem tuiti sumus elementa indubie continet. Passionis Domini quippe caracteristica, juxta hagiographum, in eo stat quod ipse justus pro injustis mortuus sit, III, 18 : Quia et Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, justus pro injustis ». Est enim ipse agnus immaculatus et incontaminatus, cujus typum jam descripsit Isaias LIII, 7 cujusque pretioso sanguine redempti sumus I, 19, quique, teste propheta, peccatum non fecit nec inventus est dolus in ore ejus. Christiani itaque capiant salutem, quam prophetae cum respectu ad salvatricem passionum Christi virtutem, id est hisce passionibus ceu fundamento religioso innixam vaticinati sunt. — Specialem mentionem meretur pericope I, 18 : εἰδότες ὅτι οὐ φθαρτοῖς ἀργυρίῳ ἢ χρυσίῳ ἐλυτρώθητε ἐκ τῆς ματαίας ὑμῶν ἀναστροφῆς πατροπαραδότου ἀλλὰ τιμίῳ αἵματι ὡς ἀμνοῦ ἀμώμου καὶ ἀσπίλου Χριστοῦ. Oculos quippe incurrit expressionem

vitam ducant hortatus, apostolorum princeps sic loquitur I, 18 : Scientes quod non corruptibilibus auro et argento redempti estis

ἐλυτρώθητε τιμίῳ αἵματί expressioni Marci X, 45 δοῦναι τὴν ψυχὴν λύτρον esse parallelam, necnon eamdem in sensu soteriologico stricte dicto, quo liberatio solutione pretii vel permutatione aliqua obtineri reputatur, hic usurpari. Quod quidem prius phraseos membrum indubie exigit : redempti estis *non corruptibilibus auro vel argento* sed pretioso sanguine. Judaeo-christiani a vana conversatione paternae traditionis, in qua veri obedientiae filii, Christo ut fundamento tamquam lapides vivi superaedificati non fuerunt, redempti dicuntur. — Atvero si documenti nostri interpretatio serium dubium non suscitet, idem conceptus paulinos non exhibere, non ita clarum nec certum est. Jussu et cooperatione apostolorum principis, anno 64 conscriptum per Silvanum (V, 12) qui cum Paulo intime conversatus cognoscitur, cuique notabilis etiam in doctrinis expressis pars probabilius competit, et in pluribus terminologiam gentium apostolo propriam exhibens, tamquam primitivae communitatis fidei fons nonnisi prudentissime in medium adduci potest. Cfr. A. Jülicher, *Einleitung in das Neue Testament*, p. 162 sq[4]. Tübingen und Leipzig, 1901. Ab altera vero parte, ut scite observat Bern. Weis, *Lehrbuch der biblischen Theologie des Neuen Testaments*, p. 121[7] sq. Stuttgart und Berlin, 1903, hagiographus non tam materiale mortis factum, quam varias quibuscum eamdem Salvator in concreto subiit passiones, attendit, II, 23; IV, 1, 13, 15; V, 1 : talis autem processus testem ocularem, non autem theologum circa facta speculantem denotat. Cui observationi, ipsum Pauli I, Cor. XV, 3 testimonium si addatur, priorem Petri epistolam fidem undecim apostolorum reflectere solida probabilitate non caret. — Alteram quae sub nomine Simonis Petri traditur epistolam sub silentio ideo praeterimus, quod notabilem in soteriologia locum non sortiatur, et ejusdem authentia plures et gravissimas difficultates suscitet.

II. Ab opere Petri parenetico ad ejusdem orationes, sive apologeticas sive proselytismo inservientes, ab auctore Actorum Apostolorum ex antiquiori documento transscriptas, transimus. Praedicationis messianitatis Christi, qua apostoli missionis suae laborem inchoarunt, ignominiosam magistri mortem scopulum fuisse, rem sive in se, sive cum respectu ad vulgata tempore neo-testamentario circa Messiae dignitatem placita consideranti planum fit, et ex Pauli epistolis luculenter patet. Christi exitum itaque ejusdem dignitati messianicae non obstare, primi evangelii praedicatores explicare debuerunt. Jamvero a primo momento, apostolorum primas, passiones Christi a Deo praestabilitas, a prophetis praedictas et in finem salvandi generis humani ordinatas alte proclamavit. In sermone, die pentecostis habito, adstantes Judaeos baptis-

de vana conversatione paternae traditionis, 19 sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi et incontaminati...; et mox

mum in nomine Jesu-Christi, in remissionem peccatorum et acceptionem doni Spiritus sancti accipere, invitavit (Act. Apost. II, 14 sq.). Mox occasione curationis « viri qui erat claudus ex utero matris suae » (III, 2), accurrentem populum docet : 1° mortem per machinationes quidem populi Israel, sed juxta aeterna Dei consilia Christo illatam esse; 2° huic morti salvatricem virtutem inhaerere. De priori assertione dubium non exstat : explicitis enim verbis legitur III, 18 : « Deus autem quae praenuntiavit per os omnium prophetarum pati Christum suum, sic implevit ». Verum exegetae haud pauci ut LECHLER, *Das apostolische Zeitalter*, p. 230[3]. Stuttgart, 1885, alteri assertioni contradicunt : hanc itaque firmemus. 1° Eo ipso quod mors juxta divinam Providentiam stabiliatur illata personae quae describitur ut Salvator, ut auctor vitae (v. 15), intelligi datur huic morti fonctionem salvatricem competere. 2° In pericope addita, qua dicitur omnes prophetas vaticinatos esse passiones Christi, prophetae sumuntur per modum unius, ut organum scilicet divinorum consiliorum : Deus nuntiavit salutem, quam in concreto per Messiam adducendam volebat, per os omnium prophetarum : hinc prophetae praecones salutis, putantur et passionum Christi nuntii. Quod quidem non impedit quominus specialem prophetiam Petrus prae oculis habeat, et revera textum bene perspicienti nullum dubium est quominus ad Deutero-Isaïam alludat. Etenim III, 13 ὁ Θεὸς... ἀδόξασεν τὸν παῖδα αὐτοῦ Ἰησοῦν ὃν ὑμεῖς μὲν παρεδώκατε... duplicem ad hunc propheticum typum allusionem continet : *a*) traditioni Jesu a Judaeis opponitur ejusdem glorificatio a Deo, eodem modo ac apud Isaïam LIII, 12; *b*) insuper ipsa vox παῖς Θεοῦ aequivalere videre voci « ebed » : denotat enim munus alicui in oeconomia salutis demandatum (Act. Apost. IV, 25). Sed si Petrus sui magistri mortem apud Isaïam praedictam novit, non potuit nescire ejusdem munus a propheta indictum, et illud ipsum prae oculis habere. Et vix hanc cognitionem ex fonte, ab ipsius Christi testimonio diverso haurire potuit : ut enim, hac in re adversariis consentientes posuimus, cantus Ebed-Jahveh in qua parte humiliationem describunt tempore neo-testamentario, exclusa forsan una alterave schola, de Messia non intelligebantur. Apostolus quidem soteriologiae non insistit, et in hoc egregium in favorem authentiae sermonis ipsi tributi, argumentum prostat : historice loquendo, prae ceteris curae ipsi esse debuit removere scandalum crucis : quod quum ipsam Christi personam attingeret, hujus glorificatio (δόξα) vindicanda erat : et hoc est quod facit apostolus, duplex Christi elevationis momentum describens III, 13 et 21. Et certe interpolator clarius doctrinam, quam tendentiose sub auctoritate Petri reponere voluisset, expressisset.

infra II, 21 : In hoc enim vocati estis quia et Christus passus est pro vobis... 22 qui peccatum non fecit... 24 qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum... cujus livore sanati estis. — Cum his collineant quae in Actis Apostolorum eidem apostolo tribuuntur II, 3 sq., III, 13-26, X, 34, necnon oratio qua Philippus ennuchum convertit, VIII, 30 sq. Non est cur his immoremur : allegata enim loca, quae plura problemata ad nostram inquisitionem impertinentia suscitant, soteriologiam stricte dictam asseveranter docere, extra dubium est. Quapropter, sententia A. Loisy, ex hac etiam parte ruinam facit.

*
* *

II. Ad secundum adversariorum argumentum, ex absentia textus nostri ab evangelio Lucae deductum, gressum jam facimus. Quae absentia reali Marci X, 45 authentiae duplici methodo opponitur. Alii enim propugnant tertium evangelistam pericopen Marcianam X, 41 sq. post Eucharistiae institutionem XXII, 24 transtulisse : omissa itaque sententia essentiali, Lucas contextum, ad quem et post quem eadem apud duos priores synopticos, tradita prostat servasset. Jamvero sententiae adeo

— Si comparetur sermo Pauli Act. Apost. XIII cum orationibus Petri II, III, X, eadem utrobique reperitur soteriologia; quod egregie concordat cum sententia, quam juxta I Cor. XV, 3 sq. tuemur, gentium apostolum hac in re a primitiva communitate edoctum esse. — Reponunt adversarii, et imprimis Scholae Tubingianae patroni, orationes Act. Apost. esse tendentiose aut redactas aut retractatas. Ita Zeller, *Die Apostelgeschichte,* Stuttgart, 1854; H. J. Holtzmann *(o. c.,* p. 451 sq.) easdem ut foetum deuteropaulinismi (cujus documenta esse censent epistolas ad Ephesios et Colossenses, et epistolas pastorales) respuunt. Verum dum antiquitus contenderent, in respectivis suis orationibus a Luca servatis, Paulum judaïzare et Petrum paulinizare, nunc utrumque catholizare contendunt. Ita Jülicher, *Einleitung in das Neue Testament,* p. 347[4] « Nicht Paulus wird judaïsirt, nich Petrus paulinisirt, sondern Paulus und Petrus lucanisirt, d. h. Katholisirt » Tübingen und Leipzig, 1901. — Verum tales assertiones sunt arbitrariae et gratuitae. Cfr. A. Sabatier, *L'auteur du livre des Actes a-t-il utilisé dans son récit les épîtres de saint Paul (Bibliothèque de l'école des hautes études),* I, p. 202. Paris, 1889; A. Harnack, *Die Chronologie der altchristlichen Litteratur bis Eusebius,* I, p. 249 sq. Leipzig, 1897.

momentosae, cujus contextus refertur, quaeque idcirco facili negotio recenseri poterat, omissionem non pauci auctores inexplicabilem proclamant, nisi dicatur hagiographum eamdem aut ignorasse, aut cognitam ut spuriam depulisse, aut saltem ad hunc locum fontem specialem theologia paulina non adulteratum adhibuisse. — Alii vero ut Joh. Weiss, rati Lucae XXII, 24 sq. et Matth. XX, 24 sq. factum realiter distinctum respicere, ipsam integrae Marc. X, 41 sq. pericope vel etiam non insertionem nostri logii in contextum, in quem de facili inseri potuisset, in argumentum invocant.

Quae quum ita sint, utque unica responsione nostri textus authentiam contra manifestum argumenti e silentio abusum vindicemus, reponimus : vel Lucae XXII, 24 sq. circa idem factum ac Marc. X, 41 sq. versatur, vel non; si primum, tertius evangelista tendentiose retractavit totam pericopen, in finem qui etiamnum determinari potest, et ex cujus inspectione elucet logion nostrum ab ipso omitti debuisse etsi authenticum et cognitum; si secundum, nulla fuit ratio qua motus evangelista referret sententiam cujus contextum omittere statuerit, propterea quod valde similem tradere maluerit; in neutro ergo casu, contra nostram sententiam seria difficultas ex silentio Lucae oboriri potest.

Et primum disjunctionis membrum si spectemus, non potest non animadverti mira similitudo inter doctrinam quam Paulus I, Cor. XI circa conventus eucharisticos inculcat, et pericopen Lucanam XXII, 24 sq. vigens. Ut enim etiam P. Feine (1) et A. Resch (2) scite observarunt, utrobique de φιλονεικία id est de contentione sermo movetur : I Cor. XI haec Eucharistiae celebrationem spectat : porro de Luca, in hypothesi posita eumdem pericopen suam extra proprium locum deturbasse, idem dicendum esset. Vox enim φιλονεικία (resp. φιλόνεικον) est specifice paulina; recensita pericope post Eucharistiae institutionem re-

(1) *Jesus-Christus und Paulus,* p. 114 sq. Leipzig, 1902.

(2) *Der Paulinismus und die Logia Jesu in ihrem gegenseitigen Verhältnis untersucht,* in *Texte und Unters.* Neue Folge, Bd. XII, p. 393 sq. Leipzig, 1904.

peritur; humilitatis praedicatio a Christo facta ad discumbentes dirigitur; v. 26 : Vos autem non sic, sed qui major est in vobis fiat sicut minor et qui praecessor est sicut ministrator. 27 : Nam quis major est, qui recumbit, an qui ministrat? nonne qui recumbit? Ego autem in medio vestrum sum, sicut qui ministrat (1). Quapropter, si ponatur Lucae XXII, 24 sq. esse duplicatum Marci X, 41 sq. concludere reliquum erit tertium evangelistam filiorum Zebedaei monitionem a Christo factam extra historicum locum reposuisse, eamdem retractasse, necnon ad Eucharistiae institutionem, ad corrigendos abusus qui praxim eucharisticam irrepserant, et probabilius ad humilitatem docendos sacramenti dispensatores, retulisse. Jamvero verbis Christi ita retractatis, jam non erat cur hagiographus logion soteriologicum, de cujus authentia inquirimus, referret : ejusdem enim relatio ad indicatum hypothetice scopum impertinens erat, et narrationis œconomiam deturbasset. — Prolatam solutionem si admiseris, ipso facto explicationem habebis quaestionis — quam Joh. Weiss hucusque insolutam asserit — cur Lucas martyrii Jacobi, ab ipso Act. Apost. XII enarrati praedictionem, quam ex Marco X, 39 aut ex fonte simili cognoscere debuit, referre omiserit : etiam haec ad scopum reformandi abusus quos Paulus I Cor. XI impugnat, non faciebat.

Quod si Lucas XXII, 24 sq. contentionem, quae coenae celebrationem de facto subsecuta sit, reproducere dicatur — quae est altera hypothesis posita —, argumentum ex ejusdem silentio mutuatum cadit ut telum imbelle. Nulla enim suppetebat ratio ob quam sententiam soteriologicam in contextum ad quem non pertinet, insereret. Integrae autem pericope Marc. X, 41 sq. omissio, sive ex lege parcimoniae, sive potius ex intentione similem pericopen reproducendi (c. XXII) sufficientissime justificatur. Ceterum, quidquid de speciali hujusce omissionis motivo

(1) P. Feine, *l. c.*, sic loquitur : « Lucas hat den Abschnitt formell gestaltet. φιλονεικία ist das von ihm an die Spitze gestellte Stichwort. Das Wort wird im N. T. nur bei ihm unmittelbar nach dem Abendmahlsbericht gebraucht, und ausserdem φιλόνεικος nur I Cor. XI, 16 unmittelbar vor dem paulinischen Abendmahlsbericht der ja auf die lukanische Fassung des Abendmahlstextes direkten Einfluss gehabt hat.

sentiendum sit, Lucas, paulinista quum sit (1), et evangelium suum post et juxta Marcum conscripserit, logion nostrum nec ignoravit, nec excludere desideravit; quod autem fontem specialem secutus sit ut Joh. Weiss suspicatur, non demonstratur, et nostri logii authentiae, etiamsi verum deprehendatur, haud officeret.

Ex silentio Lucae itaque, Marci X, 45 = Matth. XX, 28 authentia nullum detrimentum capere potest.

*
* *

3. Expressionis « filius hominis » nostro in textu occurrentis authentiae dijudicandae, nisi eidem soteriologiae origo satis intime connecteretur, ratio non exstaret. Posito enim eamdem redactionali influxui adscribendam esse, quum ipsa dempta, mortis Domini valor redemptivus integer subsistat, sententia nostra inde nullatenus debilitaretur. Verum allata expressio notabilem in soteriologiae originibus investigandis locum sortitur; hocque duplicem ob rationem. Prior in eo stat quod

(1) Scite dicit A. Resch, *Der Paulinismus und die Logia Jesu, Texte und Unters.* Neue Folge Bd. X, p. 349 : « Wenn anstatt Marc. und Matth. der « Pauliner » Lucas der Gewährsmann dieses Logion wäre, so würde man kurzen Prozess mit ihm gemacht und es zu den lukanischen « Paulinismus » geworfen haben. » — R. A. Hoffmann, *Das Marcus evangelium und seine Quellen,* Königsberg, 1904, p. 439 nostri textus authentiam realem hisce duabus considerationibus vindicat : 1° Quum apud tertium evangelistam sermo fiat de servitio ad mensam praestito, logion circa λύτρον nonnisi peraegre ab ipso inseri potuisset. 2° Apud Marcum paulinismi vestigia haud raro deprehenduntur at in iis tantum locis quae apud Matthaeum desiderantur. Cujus praetensi phenomeni explicationem in eo collocat auctor quod contendat duo priora synoptica, ab invicem independentia, primitivi evangelii aramaici (U) duplicem recensionem reproducere, Matthaeum quidem priorem et generatim magis primitivam (U_1), Marcum autem posteriorem et, ut plurimum, retractatiorem et praeprimis paulinismo adulteratam (U_2). Quum itaque textus noster (λύτρον) Marco et Matth. communis sit et identico tenore utrobique legatur, ad ipsum evangelium primitivum integer pertinet et ut authenticus habendus est. — Priorem considerationem simpliciter admittimus; posteriorem vero, quum Matthaeus graecus a Marco graeco nobis videatur pendere, respuimus.

Joh. Weiss (1) et A. Loisy dictae expressionis usum et significationem in favorem eschatologicae doctrinae quam Christo adscribunt, quaeque sententiae nostrae nonnisi peraegre coaptatur, invocent; altera, priori ex diametro opposita huc spectat, ut ex ejusdem expressionis authentia, si admittenda reperiatur, interpretationem soteriologicam textus nostri firmemus.

Susceptum hic circa primitivum et usualem expressionis « filius hominis » sensum problema, pluribus difficultatibus ex parte rei et magis adhuc ex parte vulgatarum solutionum circumdatum apparet. Exclusis quippe ut insufficientibus aut erroneis antiquitatis et medii-aevi interpretationibus (2), quibus, ut

(1) *Die Predigt Jesu vom Reiche Gottes*, p. 159 sq[2]. Göttingen, 1900.

(2) Veterum opiniones expositas reperies apud F. Krop, *La pensée de Jésus sur le royaume de Dieu d'après les évangiles synoptiques avec un appendice sur la question du « fils de l'homme »*, p. 118 sq. Paris, 1897. — Recentiorum auctorum sententiae hoc brevi compendio contrahi possunt. I. Titulo « filius hominis » Jesum humanam naturam sive simpliciter, sive modo qualificato, id est naturam idealem sibi vindicasse, veterum rationalistarum ut Paulus, *Philologisch-kritischer Commentar über das N. T.* (1800) et *Exegetisches Handbuch über die drei ersten Evangelien*, p. 465 sq. (1842), Baur et Lagarde est placitum, quod denuo recoxit Wellhausen, in priori opere, *Israelitische und Jüdische Geschichte*, p. 132 (1894). Juxta citatos auctores itaque messianitatis notio cum dicto titulo nullo vinculo colligaretur. II. Eumdem titulum dignitatem messianicam-gloriosam exprimere, juxta Daniel. VII, et a Jesu, ut se praedestinatum ad functionem Messiae gloriosi candidatum assereret, assumptum esse propugnant Colani, *Jésus-Christ et les croyances messianiques*, p. 169 sq. (Cfr. F. Krop, *O. c.*, p. 120); Joh. Weiss, *Die Predigt Jesu vom Reiche Gottes*, 1892, 1900[2]. Appel, *Die Selbstbezeichnung Jesu : Der Sohn des Menschen*, 1896, etc. III. Dictum titulum esse simpliciter messianicum, at ut talem obscurum et mysteriosum et ideo a Christo, qui ex motivo prudentiae, ante vitae suae finem, messianitatem suam palam et alte proclamare haud voluit, electum, sustinent V. Rose, *Études sur les Évangiles*, p. 157 sq., Paris, 1902; W. Baldensperger, *Das Selbstbewusstsein Jesu*, p. 176[2] sq., Strassburg, 1892; A. Schweitzer, *Das Messianitäts-und Leidensgeheimnis*, p. 69 sq. Tübingen und Leipzig, 1901. Cujus opinionis critica fundamenta suppeditavit Dalman, *Die Worte Jesu*, 1898. IV. Tandem non desunt auctores qui opinentur Jesum expressionem, de qua sermo, de se nec adhibuisse, nec adhibere potuisse, propterea quod ad designandum hominem determinatum inservire nequeat : ita cum aliis Wellhausen, in posteriori opere *Skizzen*

plurimum, denominationi ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου notionem sive mere grammaticalem, hanc nimirum quae ex constitutivis ejusdem vocabulis υἱός et ἄνθρωπος consequitur, sive dogmaticam puta secundi Adam, hominis amantissimi, hominis-Dei connectebant, omnia criticae historicae adminicula, id est philologia, Veteris Testamenti, litteraturae tempore neo-testamentario conscriptae et Novi Testament usus necnon retroversionis methodus solvendo problemati in medium adducta reperiuntur. Jam autem ceu examinis critice instituti conclusionem Joh. Weiss propugnat dictam expressionem esse titulum eschatologico-messianicum, quem nimirum Christus, quum per ministerium suum se nondum Messiam cognosceret sed in Messiam per parousiam constituendum speraret aut praesciret, de se nec adhibuit, nec adhibere potuit, nisi quando ad vitae finem coram pontifice messianicam dignitatem sibi vindicavit. Quo posito, quum in nostro textu Marc. X, 45 eadem expressio ad ipsum Jesum indubie referatur, genuini logii retractationem aut logion prorsus spurium hic praejacere concludere superest.

Argumentationis antecedens, praeter loca quae regnum Dei essentialiter eschatologicum conficere affirmantur, ipsa expressionis nostrae historia critica firmare asseritur. Quam, prout a Joh. Weiss restitutam, breviter hic contrahimus. 1° Judaeos tempore neo-testamentario Messiae conceptum sibi juxta Daniel. VII, 13 effinxisse, certum est : in ipso quidem fonte prophetico « similitudo hominis cum nubibus coeli convolans » ipsum regnum messianicum seu coelestem Malkuth indigitat; paulatim vero, ut ex libro Henoch colligitur, haec ad ipsam Messiae personam praemonstrandam assumpta reperitur. 2° Porro ipse Jesus suorum coaevorum hac in re conceptus suos faciens, Messiam seu filium hominis ceu judicem gloriosum habuit. Quapropter 3° quum mortalis inter mortales ut humilis praedicator versaretur, non habens, ut ipse testatur, ubi caput reclinaret, se cum Messia identificare haud potuit. Firma quidem fiducia messianicam dignitatem sibi praedestinatam tenuit, adeoque se in filium hominis per parousiam transmutandum

und Vorarbeiten, ht. VI, p. 197 sq., Berlin, 1899 et LIETZMANN, *Der Menschensohn-Eine Beitrag zur neutestamentliche Theologie*, 1896.

exspectavit, at terrestri suo ministerio durante se a filio hominis sedulo distinxit. Quod quidem illi, qui usum hujusce expressionis critica methodo investigat, omni desiderabili claritate elucescit. Imprimis quidem, quantum ad loca in quibus praedictiones circa parousiam occurrunt, res dubium non patitur : Jesus enim de gloria, qua circumdatus Messias cum nubibus coeli apparebit, objective tantum loquitur : hanc sibi competere directe non asserit (Marc. XIII, 26; XIV, 62; Luc. XVII, 24 = Matth. XXIV, 27; Luc. XVII, 27 = Matth. XXIV, 37; Luc. XVII, 30 = Matth. XXIV, 39; Luc. XII, 40 = Matth. XXIV, 44; Luc. XXVII, 22; XVIII, 8; Matth. X, 23; XIII, 41; XVI, 28; XIX, 28; XXIV, 30; XXV, 31.) A pontifice rogatus sitne Messias, Jesus competentem sibi dignitatem alte quidem proclamat, at ex psychologica necessitate, id est ex intima convictione qua sciebat se messianica potentia hic et nunc nondum potiri, statim adjicit : et videbitis filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei et venientem cum nubibus coeli (Marc. XIV, 62). Praedictionum, quae passionem respiciunt, et in quibus « filius hominis » passurus asseritur, adeoque de Jesu, citra parousiae glorificationem dicta denominatio usurpata legitur series, difficultatem facere nata videtur. De qua tamen quod posteriorem retractationem reflectat et expressionem « filius hominis » indebito modo intrusam exhibeat, suspicio statim eo magis oboritur, quod talem intrusionem quandoque contigisse ex Matth. XVI, 13 indubie constet. Quum enim primitivus quaestionis Domini tenor, teste Marco VIII, 27, sic sonaverit : τίνα με λέγουσιν οἱ ἄνθρωποι εἶναι; Matth. habet : τίνα λέγουσιν οἱ ἄνθρωποι εἶναι τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου. Si cui tamen adducta solutio, qua omnia loca paradoxum illud, quod filius hominis passurus dicatur, redolentia, retractata proclamantur, radicalior videatur, observandum superest tria circa passionem vaticinia, apud Marcum obvia VIII, 31, IX, 31, X, 33, esse unius ejusdemque traditionis duplicata, ex eventu retractata, quorumque secundum (IX, 31) tenore magis primitivo servatum prostat. Jam autem illud sic sonat : ὁ υἱὸς τοῦ ἀντρώπου παραδίδοται εἰς χεῖρας τῶν ἀνθρώπων, καὶ ἀποκτενοῦσιν αὐτόν, καὶ ἀποκτανθεὶς μετὰ τρεῖς ἡμέρας ἀναστήσεται, id est, Jesus de Messia objective et nulla

directa sui cum eodem identificatione facta, loquitur. Hucusque quidem Joh. Weiss, cui sequentia opponimus.

1° Frequenter (1) in N. T. usitata expressio « filius hominis » in solis Domini orationibus obvia occurrit (2) : tamquam titulus itaque ab ipsomet Jesu usurpatus habeatur oportet. Porro, ex tribus propositis hypothesibus, quibus ut fontem ex quo Jesus eumdem hauserit, respective Vetus Testamentum, sive sermonem popularem aut propheticum tempore neo-testamentario occurrentem, sive proprium Domini vocabularium statuerunt, prima inde a Schleyermacher plurium exegetarum favores sibi acquisivit et inter recentiores communis est (3). At quum in ipso Veteri Testamento dictus titulus aequivoce adhibeatur — apud Ezechielem nonaginta circiter vicibus ipsam prophetae personam aut exactius humanam ejusdem conditionem per oppositionem ad munus et charisma superaddita, in psalmis LXXX, 17, VIII, 20 hominem in genere, apud Danielem VII coelestem Malkuth, connotata, ut probabilius censemus, ipsa Messiae persona, indigitat — et per temporis decursum specialiorem sensum assumere potuerit, documentum ex quo Salvator eumdem hausit, sedulius inquirendum manet. Jam autem si prae oculis habeatur in pluribus evangeliorum locis sermonem moveri de filio hominis cum nubibus coeli venturo, apocalypticam Danielis descriptionem — quae sola inter V. T. loca talem figuram exhibet — ad modum fontis Domino inserviisse, morali certitudine constare dicendum erit. A saeculo II ad Christum eadem

(1) Der Name « des Menschen Sohn » kommt bei Matthäus zweiunddreiszig, bei Marcus fünfzehn, bei Lucas fünfundzwanzig und bei Johannes zwölf mal vor ». Stalker, *Die Christologie Jesu,* p. 26, Dessau, 1902.

(2) Scite dicit V. Rose, *Études sur les évangiles,* Paris, 1902, p. 164. « Les évangélistes ont évité l'usage de ce titre dans les parties proprement narratives : il ne se trouve que sur les lèvres de Jésus... Si saint Étienne d'après les Actes (VII, 56), et saint Jacques, d'après Hégésippe (Euseb. Hist. eccl. II, 23) voient le ciel ouvert et le Fils de l'homme qui se tient debout à la droite de Dieu, ils se rapportent à la vision de Jésus lui-même et en reproduisent les termes ».

(3) Secundam hypothesim, insufficientibus rationibus, quantum opinamur innixus tuetur Gunkel, in *Zeitschrift für wissenschafliche Theologie,* XLII, p. 587 sq.

figura, paulatim determinatior, de ipsa Messia persona usurpari consueverat (1).

2° Itaque, quod etiam Dalman tuetur, titulus de quo sermo, erat quidem messianicus, ita tamen ut, quum ad sermonem vulgarem non pertineret, messianicam dignitatem nonnisi perobscure significaret. Quem ideo Jesus nisi a quo momento auditores suos messianitatem suam docere aut saltem circa eamdem attentos reddere voluit, de se adhibere potuit. Momentum autem illud sive cum ejusdem ministerii initio, sive cum proclamatione messianitatis Cesaraeae Philippi facta, coincidere dicendum est : priorem hypothesim prae altera commendare videtur, quod ex tribus locorum categoriis, de « filio hominis » agentibus — quarum prima apostolatum, secunda passionem, tertia gloriam parousiae Jesu spectat —, nonnulla ex prima proclamationem Caesareae praecedere videantur (2); alteri, quam plures tuentur,

(1) Ex critica philologica, id est ex retroversione locutionis ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου in aramaicum, ad usualem ejusdem in Novo Testamento sensum investigandum haud multum confert. Cfr. praeter opera citata Holsten, *Die Bedeutung der Ausdrucksform* ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου, *Zeitschrift für wissenschaftliche Theologie*, 1891, p. 46 sq.

(2) In appendice famosi sui operis, *Die Predigt Jesu vom Reiche Gottes*, p. 201² sq. Joh. Weiss considerationes eruditione confertas adjecit circa loca scripturistica quae citra conceptum messianicum locutionem « filius hominis » adhibent. Examinis ab ipso instituti conclusiones huc redeunt. 1. In responsione ad scribam directa, Matth. VIII, 20 = Luc. IX, 58, qua Jesus testatur « vulpes quidem foveas habere « filium hominis autem non habere ubi caput reclinet », adductum titulum ut synonymum = « ego » nullatenus adhiberi. Scriba enim sibi postulans sequelam Jesu, hunc ut Messiam habet vel saltem regnum Dei mox adventurum esse sperat. Quem Dominus edocens fore ut spes ipsum fallat, immensam distantiam, qua praesens sua ambulantis praedicatoris conditio, a gloria filii hominis a Daniele praedicti separatur, indigitat : terrestris Jesu conditio itaque cum parousiae gloria incompossibilis apparet (p. 174 sq.). Vel dici etiam posset cum Wellhausen locutionem nostram hominem aliquem nulla messianitatis notione adjecta praesignare, hoc sensu : animalia quidem requiei locum habent; en autem homo qui domum non possidet ». — Ad haec reponimus talem interpretationem esse aprioristicam, nec contextae orationi congruere. Nimis manifestum quippe est per « filium hominis » ipsum Jesum, quem scriba comitari desiderat, designari. Et idem dictum sonet circa logion

generalis evangelii favet tenor ex quo elucere videtur inde praecise ab agnita per apostolorum ducem dignitate Domini,

Matth. XI, 19 = Luc. VII, 34 relatum, de quo Joh. Weiss post Wellhausen et A. Meyer supponit quod juxta primitivum ejusdem tenorem filius hominis non ipsam personam Jesu, — quod hagiographi censuerunt — sed hominem indeterminatum, barnasch, indicaverit. Hagiographorum quippe error non est supponendus sed demonstrandus et nonnisi per petitionem principii supponitur inexactam tenoris aramaici versionem in iis locis prostare, in quibus titulo « filius hominis » notio messianica-eschatologica non competit.

2. In duobus locis, pergit Joh. Weiss, felicem applicationem sortitur sententia Baur propugnantis *barnasch(a)* hominem in genere indicare : huic sunt Marc. II, 10 et 28. Posteriorem locum assignatum quod attinet, res est evidens : ex versu 27 liquet hanc fuisse Jesu mentem ut assereret, non quidem formaliter et positive sabbatum esse propter hominem, sed sabbatum in hominis detrimentum urgeri non posse. Porro v. 28 — qui voce ὥστε introducitur — cum exposita sententia nullo nexu colligaretur, si filius hominis Messiam designare dicatur : de Messia enim in contextu immediate praecedente sermo non movebatur. Evangelistam quidem aliam connexionem idearum, puta sequentem « posito sabbatum esse propter hominem, Messiae, utpote generis humani redemptori competit potestas, illius vim obligatoriam revocandi » intendisse, possibile est : verum tam artificiosa connexio primitiva esse nequit. Nunc autem prolata consideratio authentiae v. 27 ut suo fundamento innitur : porro eamdem authentiam, tum Matthaei et Lucae silentium, tum ipsius textus Marciani traditio manuscriptialis (versus 27 in D it[5] desideratur) ad minus dubiam reddunt. Neglecto itaque v. 27, neglecta etiam in v. 28 voce ὥστε, apud Matth. et Luc. pariter deficiente, expositus sententiarum nexus nihilominus verus remanet. Quum enim adversarii Domini hunc ut Messiam non agnoscant, hujus responsio argumentum a *minori ad majus*, ab auctoritate nimirum David ad auctoritatem ipsius Messiae, constituere nequit. Argumentationis vis huc potius spectat ut ex iis quae in David contigerunt necessitatem legem nescire, hominique altiorem quam sabbato valorem competere conficiatur. Ergo v. 28, c. II Marci filium hominis stare pro humanitate dicendum est. — Majori interpretationis difficultate premitur Marc. II, 10. Quem circa locum sedulo observandum obvenit messianitatem Jesu controversiae ipsum inter et scribas habitae objectum constituisse : hinc v. 10 nequit significare : « ut sciatis quia Messias habet potestatem etc. ... eo vel magis quod apud adstantes Domini adversarios remissivam peccatorum potestatem Messiae competere in confesso esset. Ulterius animadvertendum obvenit Jesu crimini datum

hunc revelandis sibi suoque muneri incubuisse. Ceterum, quum contentio inter discipulos exorta, media in qua soteriologicum

esse quod potestatem Deo propriam usurpaverit. Quam accusationem diluit Dominus monstrando etiam majus quam est facultas peccata remittendi charisma, id est curativam paralysis potestatem homini competere, non quidem eo sensu ut quivis homo tali potestate instrueretur, sed quatenus hic et nunc, adveniente regno Dei talia bona Deus sanctis elargiatur. Quam interpretationem pluralis apud Matth. IX, 8 (τοῖς ἀνθρώποις ἐξουσίαν τοιαύτην...) occurrens forma confirmat. Vis probativa Domini responsioni inhaerens, sic deberet exhiberi : qui aegrotum curat, et remissionem peccatorum dispertiri potens est : si itaque paralyticum sano, eo ipso conficitur homines quandoque absque blasphemia peccata posse dimittere. Ceterum qui expositae exegesi suscribere renueret, huic nihilominus loco determinati barnascha indeterminatum barnasch tamquam primitivam lectionem admittere, necessitas incumberet. Nam, prolata verba hominibus in genere potestatem remissivam peccatorum vindicare etiamsi negetur, certum est generali ordinationi juxta quam peccata Deo dimittenda reservantur, Jesum exceptionem hic apponere. Hinc scribis sponte oboriri debebat cogitatio Jesum aut specialem sibi conditionem tribuere aut specialis temporis adventum proclamare. Indirectam messianitatis suae proclamationem, quam Domini responsio juxta haec contineret, Marcus directam reddidisset, vertendo barnasch expressione ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου, addendoque verba ἐπὶ τῆς γῆς quibus terrestrem magistri sui conditionem parousiae et exaltationis gloriae opponeret. Hucusque quidem marburgensis professor, cujus placita dijudicanda supersunt. — Circa Marci II, 10, 28 per hos ultimos annos plurimum disputatum est : Joh. Weiss, quoad substantiam expositae sententiae consentiunt Wellhausen, *Skizzen und Vorarbeiten*, VI, 203; Fiebig, *Der Menschensohn*, p. 59 sq.; R. A. Hoffmann, *Das Marcusevangelium und seine Quellen*, p. 104 sq., Königsberg, 1904; nostrae expressionis sensum messianicum tuentur Dalman, *O. c.*, p. 205; M. Lepin, *Jésus Messie et Fils de Dieu d'après les évangiles synoptiques*, p. 84 sq., Paris, 1904; H. Zimmermann, *Der historische Wert der ältesten Ueberlieferung von der Geschichte Jesu im Marcusevangelium*, p. 52 sq., 99, Leipzig, 1905. Tandem W. Wrede, *Das Messiasgeheimnis in den Evangelien*, Göttingen, 1901, p. 17 sq., 222 propugnat quidem « filium hominis » ut synonymum Messiae abhiberi, at exinde — quum messianitatis Jesu revelatio proclamationi Petri posterior ab evangelista asseri videatur — evangelium Marci tendentiose et artificiose compositum esse, concludit. Examinis, quo rei veritatem assequi sategimus conclusiones, sic se habent : 1° Affirmatio W. Wrede in omni casu erronea dicenda est : logia enim de quibus sermo, pertinent ad evangelii Marci sectionem (II, 1

logion inseritur, etiam fidei professioni a Petro emissae posterior sit, ex electa etiam posteriori hypothesi contra expressionis

— III, 6) in qua facta narrata potius logice quam chronologice inter se cohaerent : describunt quippe in die crescentem Pharisaeorum et scribarum contra Jesum oppositionem, et relatione chronologica nulla aut nonnisi vaga ad invicem copulantur : hinc, ad quamnam praecise vitae Domini periodum pertineant statui jam nequit. Insuper quum titulo « filius hominis » sensus messianicus nonnisi vagus competat, et inde a Caesaraea Philippi *clara et directa* messianitatis proclamatio exordium sumere dicenda sit, logia Marc. II, 10, 28 etiam ad initium ministerii Domini relata, contradictionem in evangelio manifestare nequeunt. 2° Utrum autem « filius hominis » ut titulus messianicus et Jesu proprius adhibeatur, perdifficilis est quaestio, quae categorice in unum alterumve sensum vix solvi potest. Probabilius tamen asserendum videtur ipsos hagiographos hic et alibi famosam locutionem tamquam titulum Domino quidem proprium, qui tamen messianicus non sit, usurpasse. Etenim « υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου » et « ἀνθρώπος » nullatenus confundunt; ab altera parte, modus loquendi Matthaei XVI, 13, hunc nostrae locutioni messianitatis notionem non tribuisse, indicare videtur, nisi tamen dicatur eumdem aut eamdem notionem obvelatam et mysteriosam cognovisse, aut confessionem Petri, ut quae Jesu divinitatem potius ac messianitatem spectaverit, censuisse. Cfr. V. Rose, *Études sur la théologie de saint Paul,* Revue biblique, t. XII (1903), p. 353. Insuper in ore ipsius Jesu, idem nomen fuisse proprium et messianicum, sententia est solida probabilitate non carens. Juxta II, 3 sq. Jesus paralytico peccata dimittit, et de blasphemia accusatus, id quod cerni nequit per illud quod manifestum est confirmans, paralyticum sanat : ipsemet Jesus itaque accusatur; semetipsum patrato miraculo defendit : hinc « filium hominis » cui potestatem peccata solvendi vindicat ipsam Domini personam designare, obvia illatione concludi posset. Nec cogit instantia Joh. Weiss asserentis ipsam Jesu dignitatem messianicam in quaestione versatam esse, et ab altera parte Judaeos peccata remittendi facultatem Messiae adscripsisse. Nam praeterquam quod, ut scite animadvertit Dalman, *o. c.,* p. 203, invocato Judaeorum circa Messiae potestatem conceptui demonstrando argumenta deficiant, de messianica dignitate Dimini lis directe non movebatur : scandalizatis de praetensa blasphemia scribis, Jesus patrato miraculo demonstrat se sibi nullam potestatem indebite adscripsisse. Inepte etiam asseritur ex Matth. IX, 8 loquendi modo (τοῖς ἀνθρώποις ἐξουσίαν τοιαύτην) indubie consequi Jesum de hominibus generatim locutum esse. Primus evangelista enim loquitur de sensibus populi, qui quum Jesum ut merum hominem, at specialibus donis adornatum putaret, Deum tam egregiam potestatem hominibus conces-

nostrae Marc. X, 45 authentiam, nullum praejudicium oboriri potest.

3° Reponit quidem Joh. Weiss Jesum quum operi conversionis Israel incumberet se semper a Messiae persona sedulo distinxisse, eumque « filii hominis » instantes passiones et proximum adventum gloriosum objective tantum exposuisse, adeoque logion Marci X, 45 in quo « filius hominis » ipsum Jesum indubie indicat, retractationem posteriorem subiisse. Quam assertionem convelli reputamus sequentibus considerationibus. *a)* Ut ipse Joh. Weiss fateri cogitur, Dominus humiliationes ipsum Hierosolymis exspectantes praedicens (Marc. IX, 31), de passione « filii hominis » locutus traditur : quo posito, munus judicis gloriosi nequit esse caracteristica unica conceptus quem de Messiae persona Salvator sibi efformavit, sed ad eumdem gestus proprie humanos pertinuisse dicendum est. Quod quidem integrum manet, etiamsi Jesum de filii hominis passionibus objective tantum locutum esse, conficiatur. Verum *b)* assertio haec, qua abuti solent, Jesum de Messiae persona objective tantum sermonem fecisse, aequivoca apparet : aliud

sisse, gavisus est. Haec autem assertio integram relinquit Marci descriptionem II, 10, quae contextui melius congruere videtur, si de ipso Jesu intelligatur. Fatemur tamen etiam alteram interpretationem Joh. Weiss contextae orationi non male aptari. Objicitur Domino quod paralyticum a peccatis solvendo, blasphemaverit ideo quod jura Dei propria usurpaverit : adjectam rationem inanem reddere poterat aut se Deum declarando, aut affirmando invocato principio quandoque, id est adveniente tempore messianico, exceptiones statui posse : porro si secundo modo responderit, idearum connexio « filium hominis » ut nomen genericum sumi haud impedit. Verum quia homo qui ob regni Dei adventum inaudito charismate ornatur tandem aliquando ipse Jesus est, generalior sensus nostrae locutionis indubie esset restringendus, et quin eamdem ut nomen messianicum obscurum haberet, vix quis effugeret : quod et verba ἐπὶ τῆς γῆς egregium in modum confirmant. Similes considerationes, inter quas eminet expressio « dominus sabbati » sensum messianicum v. 28 probabiliorem reddunt. Ceterum etiamsi concedatur voci aramaicae *barnasch(a)* duplicem sensum competere, et Marcum II, 10 et 28 inexactam ejusdem versionem curasse, nihil inde conficeretur contra argumentum quod ex iis locis, in quibus passiones filii hominis describuntur, mutuati sumus.

est enim Dominum sibi applicuisse titulum obscurum quidem et mysteriosum, quo messianitatem — quam alte proclamare nec volebat, nec prudenter poterat — sibi tamen hic et nunc vindicaverit, aliud, quod adversarii ut Joh. Weiss et A. Loisy propugnant, ipsum se tantum ceu praedestinatum muneris messianici candidatum agnovisse. Jam autem obvia textuum lectio, si primo aspectu huic alteri explicationi favere videatur, haec impressio inde oboritur, quod Jesus ob assumptum titulum « filius hominis » de se in tertia persona locutus reperiatur. Quam assertionem, duae textuum categoriae, quae scilicet sive apostolatum sive passiones « filii hominis » spectant — quorum authentia et integritas nonnisi per petitionem principii in dubium vocari possent — ineluctabili evidentia conficiunt. Filius hominis quippe, non habens ubi caput reclinet, id est stabilem sedem non possidens et itinerantis praedicatoris instar urbes et pagos perlustrans (Matth. VIII, 20), manibus nocentium tradendus (Luc. IX, 44; XVII, 32; Marc. IX, 31; X, 33; XIV, 41, etc.) cum ipso Jesu Nazareno, et quidem citra quamlibet parousiae glorificationem identificari debet. Tandem *c)* satis fundatum non apparet discrimen quod marburgensis exegeta inter modum loquendi Marci IX, 31 et X, 45 repositum vult : in priori loco objectivam tantum passionum descriptionem, in posteriori, applicationem ad vitam Jesu exhiberi autumat. Quantum videmus, utrobique simili modo indirecta Jesu cum filio hominis identificatio intenditur.

IX, 31 : ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου παραδίδοται εἰς χεῖρας ἀνθρώπων, καὶ ἀποκτενοῦσιν αὐτόν, καὶ ἀποκτανθεὶς μετὰ τρεῖς ἡμέρας ἀναστήσεται.

X, 45 : ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου οὐκ ἦλθεν διακονηθῆναι, ἀλλὰ διακονῆσαι καὶ δοῦναι τὴν ψυχὴν αὐτοῦ λύτρον ἀντὶ πολλῶν.

Stet itaque conclusio : in illa vitae suae periodo, ad quam pertinet factum cujus occasione sententia soteriologica Marc. X, 45 prolata traditur, Dominus titulum « filius hominis » sibi indubie applicuit. Quapropter ejusdem tituli in dicta sententia praesentiam, tamquam quae posteriorem retractationem probaret, inepte invocant.

Articulus III.

De coena eucharistica.

Ad examen verborum, quibus Christus in coenae eucharisticae celebratione mortis suae valorem soteriologicum expressit, quaeque essentialem nostrae inquisitionis fontem constituunt, jam transeamus oportet. Atvero eidem examini plures gravissimas inhaerere difficultates ex controversiis hisce ultimis annis circa Domini coenam motis enatas, et quarum nonnullae solvi exigunt, antequam verborum Christi, quae soteriologiam spectant, determinationem aggredi possimus, neminem latet. Quapropter, etsi intentum nostrum nequaquam sit, omnes et singulas quaestiones, quae circa Eucharistiae institutionem et significationem religiosam disputari solent pertractare, — quod quidem praedefinitos nostro operi limites longe praetergrederetur —, in favorem tamen lectoris et quo haec nostra inquisitio lucidior evadat, status controversiarum, per quindecim proxime elapsos annos, juxta methodum critico-historicam agitatarum, expositionem compendiose conficere conduximus.

Rationalistarum et protestantium sententias, ante annum 1890 vulgatas, dogmaticam potius quam criticam indolem, ut plurimum, prae se ferentes et quibus sicut olim Lutherus et Calvinus, imo his profundius reformatae confessionis theologi inter se dividuntur, apud Lobstein (1) expositas et dijudicatas est reperire. Anno autem 1891, Ad. Harnack (2) problema eucharisticum generalioris, quod circa essentiam christianismi tuetur systematis lumine collustrans, religiosum coenae Domini valorem in eo situm esse quod coena ordinaria, id est corporalis

(1) *La doctrine de la sainte cène,* Lausanne, 1889. — Recentiorem bibliographiam reperies apud A. Schweitzer, *Das Abendmahl im Zusammenhang mit dem Leben Jesu und der Geschichte des Urchristentums,* p. 1-55, Tübingen und Leipzig, 1901; et apud W. Berning, *Die Einsetzung der heiligen Eucharistie,* p. 1-21, Münster, 1901.

(2) *Brot und Wasser die eucharistische Elemente bei Justin,* in *Texte und Unters.* Bd. VII, ht. 2, p. 115-144. Leipzig, 1891.

hominis primordialis functio seu nutritio, a Christo fuerit benedicta et sanctificata, propugnavit. Cujus sententiae historicum fundamentum esse ferme nullum facili negotio confecerunt L. Duchesne (1), Th. Zahn (2), F. X. Funk (3) et A. Scheiwiler (4) assertionem, cui Ad. Harnack innitebatur, prius nempe Ecclesiae saeculis, Eucharistiam saepe saepius adhibita aqua loco vini celebratam esse, adeoque elementis eucharisticis ut talibus speciale momentum agnitum non esse, labilem imo erroneam demonstrantes. Verum protestantibus et rationalistis, tenori et caracteri coenae Domini critica methodo determinandis, celeber berolinensis professor viam praemonstraverat et a quo inquisitionem suam publici fecit juris ad hodiernum usque diem, monographiae et contributiones nostrum circa problema conscriptae, in lucem edi non cessarunt.

Mox enim A. Jülicher distinctione inducta inter coenae eucharisticae formam paulinam (Paulus, Lucas) et petrinam (Marcus, Matthaeus), hacque altera prae priori, sub ratione fidelitatis historicae praelata, exinde — ob silentium nimirum Marci et Matthaei — mandatum institutionis quod Christo formae paulinae documenta adscribunt, ut spurium semovit sicque omnem valorem institutionalem a coena Domini praescidit. Imo, ratus Jesum corpus suum et sanguinem cum pane et vino unice comparasse et medium comparationis terminum in verbis ἔκλασεν et ἐκχυννόμενον reperiri, coenam eucharisticam esse essentialiter parabolam abbreviatam, sensibili modo mortem Domini proxime secuturam exprimentem, asserere non dubitavit (5).

(1) *Bulletin critique,* pp. 281-283. Paris, 1891.

(2) *Brot und Wein im Abendmahl der alten Kirche,* Erlangen-Leipzig, 1892.

(3) *Die Abendmahlselemente bei Justin,* in *Theologische Quartalschrift,* pp. 643-659, 1892; et in *Kirchengeschichtliche Abhandlungen und Untersuchungen,* I, pp. 278-292, Paderborn, 1897.

(4) *Die Elemente der Eucharistie,* monographia vulgata in *Forschungen zur christlichen Litteratur — und Dogmengeschichte, herausgegeben von A. Ehrard und J. P. Kirsch,* Bd. III, ht. 4. Mainz, 1903.

(5) *Zur Geschichte der Abendmahlsfeier der ältesten Kirche,* in *Theologische Abhandlungen Weizsäcker gewidmet,* Freiburg, 1892.

Sensus itaque verborum a Christo super panem et calicem prolatorum, huc rediret : sicut panis ille, ita corpus meum frangetur, sicut vinum illud, ita sanguis meus effundetur.

Sententia quam eodem ferme tempore in lucem edidit F. Spitta (1), successum majorem quam praecedentes nacta est. Jesus, ait doctus argentoratensis professor, in coena cum suis ad mensam discumbens, in regno suo glorioso se jam constitutum imaginatus est, et apostolos suos ad mensam coelestem secum assidentes in phantasia aspexit. Formulas itaque consecrationis quae dicuntur, juxta psychologicorum Jesu sensuum rationem, id est cum respectu ad regnum eschatologicum interpretemur oportet. Hinc, quum supremam regni beatitudinem in manducatione ipsius Messiae, traditi ut esca sanctis, Judaei tempore neo-testamentario collocatam putarent, Christus dicendo : hoc est corpus meum, hic est sanguis meus, apostolos suos summae felicitatis participes esse, sibi effinxit. Cui interpretationi essentialiter eschatologicae ut stabilitatem communicaret et simul catholicum dogma quovis fundamento critico carere demonstraret, duas firmare nisus est Spitta assertiones sequentes : 1° Christus coenam paschalem non celebravit; 2° verba Marci XIV, 25 = Matth. XXVI, 29 : Amen dico vobis quia jam non bibam de hoc genimine vitis usque in diem illum, quum bibam illud novum in regno Dei, ad coenam eucharisticam sunt referenda : quapropter vinum post consecrationem adhuc est et dicitur vinum, et mentem Jesu regno eschatologico haesisse ex ipsorum hagiographorum testimonio elucet.

Descriptas sententias textus immerito mutilare aut negligere et realem quo Eucharistia cum paschate colligatur nexum solvere inspiciens, H. J. Holtzmann (2) ad interpretationem traditionalem magis accedendum confessus est. Hinc, quum ritum omnino similem ritui quem foedus feriens cum Jahveh populus

(1) *Zur Geschichte und Litteratur des Urchristentums*, I, p. 205 sq. : *Die urchristlichen Traditionen über Ursprung und Sinn des Abendmahls.* Göttingen, 1893.

(2) *Lehrbuch der neutestamentlichen Theologie*, I, p. 300 sq. Freiburg und Leipzig, 1897.

judaicus in Sinai perfecisse legitur Exod. XXIV, 3-8 Christum celebrasse deprehenderet, juxta foederis sinaitici tenorem coenae eucharisticae sensum determinans, ideam foederis seu διαθήκης in expiatorio Christi sanguine fundati, quam A. Jülicher et F. Spitta ut adventitiam respuunt, tamquam indubie authenticam esse retinendam alte proclamavit. Verum quaestio, quanam ratione panem corpori suo et contentum calicis sanguini suo Christus aequiparaverit, tali declaratione non solvitur : an quia corporis sui et sanguinis sacramentum instituit; an simpliciter, quia instantem corporis sui sortem sub fractione panis intuitus est et symbolice expressit? Hac in re, H. J. Holtzmann ad parabolam, in quantum de genuina Christi intentione restituenda agitur cum A. Jülicher recurrere praetulit; sacramentale autem dogma posteriori tempore ex aliarum religionum in christianismum influxu enatum censere videtur (1).

Cui opinioni, haec quam recentissime tuitus reperitur Oscar Holtzmann (2), vicina est : qui enim parallelismum, qui inter ritum Exodi XXIV, 3-8 et ultimam coenam deprehenditur, in omnibus perfectum esse putans, calicem eodem modo quo dimidiam sanguinis sacrificalis partem Moyses, in terram Dominum effudisse conclusit. Mirae suae assertionis capitale argumentum ex Lucae XXII, 20, τοῦτο τὰ ποτήριον ἡ καινὴ διαθήκη ἐν τῷ αἵματί μου τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυννόμενον, in quo textu vox ἐκχυννόμενον ad ποτήριον refertur et effusionem in terram contenti calicis praemonstrat, erui judicavit.

Descripta problematis eucharistici solvendi conamina, per modum contributionum christianismi originibus investigandis inservientium, in usum exegetarum et antiquitatis historiographorum, concinnata fuerant. Doctioris autem criticae placita inter fideles protestantes vulgare allaborans, A. Eichorn (3) sote-

(1) *Sacramentliches im Neuen Testament*, in *Archiv für Religionswissenschaft*, Bd. VII, ht. 2, p. 58 sq. Leipzig, 1904.

(2) *Das Abendmahl im Urchristentum*, in *Zeitschrift für die neutestamentliche Wissenschaft und die Kunde des Urchristentums, herausgegeben von Dr Erw. Preuschen*, V, pp. 89-120. Giessen, 1904.

(3) *Das Abendmahl im Neuen Testament*, in *Christliche Welt*, ht. 36. Leipzig, 1898. Thesim A. Eichorn eversurus, in eadem collectione

riologiae et realis praesentiae dogmata, quorum originem ipsis Jesu verbis, Eucharistiam instituentis inhaerere evangelistae testantur, tamquam recentioris aetatis foetus esse amovenda, lectoribus suis suadere aggressus est. Essentiale suae theseos argumentum in hoc collocavit, quod narrationes evangelicas duplicem conceptionem respective ex festo coenae Domini et feriae VI^ae^ mutuatam, in unum fudisse contenderet. Utriusque dein festi originem pressius investigans, conceptum soteriologicum ex religiosa primitivae communitatis psychologia exortum, realis autem praesentiae dogma ex orientalis gnosticismi influxu enatum statuit.

Vestigia A. Eichorn in pluribus premens Joh. Hoffmann (1), problema eucharisticum cum respectu ad christologiam quacum intime cohaeret — tantum enim valet doctrina realis praesentiae, quantum dogma divinitatis Christi — solvere sategit. Jam autem, si ipsi credamus, christianae circa ortum supernaturalem et naturam divinam Jesu fidei, origo esset mere psychologica : discipuli imaginationis impetu decepti, magistrum redivivum videre crediderint, et consequenter ut ens apocalypticum seu supernaturale habuerint; ab altera parte, esoterica primitivae communitatis convivia, non ex praecepto Domini sed juxta Essenorum consuetudinem celebrata et in finem eschatologicum, exspectandae nimirum parousiae saepius repetita, parallelo cum christologia gressu evoluta fuerint. Mox Paulus speculationibus suis circa coenam christologiam consocians, Eucharistiae sacramentum adinvenerit : quod, quo majori auctoritate muniret, in ipsum Christum transtulerit.

Tandem K. G. Goetz (2) interpretationem quam proponendo Ad. Harnack recentiores circa Eucharistiam controversias pro-

studium vulgavit C. Clemen, *Der Ursprung des heiligen Abendmahls*, Leipzig, 1898.

(1) *Das Abendmahl im Urchristentum. Eine exegetische und historisch-kritische Untersuchung*. Berlin, 1905. Cfr. recensio quam circa hoc opus conscripsimus in *Revue d'histoire ecclésiastique*, V, pp. 815-820. Louvain, 1904.

(2) *Die Abendmahlsfrage in ihrer geschichtlichen Entwickelung. — Ein Versuch ihrer Lösung*, p. 267 sq. Leipzig, 1904.

vocaverat, cum quibusdam modificationibus et juxta novam methodum defendendam assumpsit. Ratus nimirum Christum nonnisi unicam super elementa eucharistica pronuntiasse εὐλογίαν, hancque, ad substantiam rei quod attinet, sic se habuisse : τοῦτό ἐστιν ἡ σάρξ μου καὶ τὸ αἷμα, quibus verbis humana personalitas exprimitur, hinc Jesum apostolos docuisse humanam suam personalitatem eamdem ad ipsorum vitam religiosam et socialem habitudinem seu relationem habituram, quam habet ad vitam corporalem ciborum sumptio, inferre sibi legitimum esse conduxit. Formulae itaque eucharisticae subesset comparatio similis huic quae inhaeret verbis Domini, Matth. XII, 49 : ἰδοὺ ἡ μήτηρ μου καὶ οἱ ἀδελφοί μου.

Denique Axel Andersen (1) opinionem ceteris radicaliorem proposuit et propugnavit. Ipso enim teste, Paulus I Cor. XI verba τοῦτό μου ἐστὶν τὸ σῶμα de corpore Christi mystico id est de Ecclesia intellexerit. Quum autem synoptici juxta hodiernum suum tenorem, sacramentalem seu « magicam » realis praesentiae conceptionem exhibeant, tamquam interpolati sunt habendi. Evolutionis, quam circa coenae interpretationem locum habuisse auctor sibi effingit, tria stadia describit : in priori, simplex haberetur panis manducatio; in secundo, ipsa Christi caro sumi putaretur; in tertio haec ipsa caro offerri crederetur : theologia s. Cypriani tertium et definitivum evolutionis stadium repraesentaret, et ab ipsa quotquot subsequentes circa Missae sacrificium apud catholicos theoriae adinventae sunt, dependerent (2).

(1) *Das Abendmahl in den zwei ersten Jahrhunderten nach Christus*. Giessen, 1904.

(2) Capitalium sententiarum circa quas controversiae eucharisticae coaevae habitae sunt, expositionem in his paucis lineis contraximus. Completam certe earumdem descriptionem cum argumentis omnibus quibus innituntur, difficultatibus quibus involvuntur et confutationibus circa ipsas exstructis, quum dogma praesentiae realis circa quod primarie versantur, in inquisitione nostra specialem locum non sortiatur, hic curare non possumus. Quasdam tamen circa varias, quae in coenae eucharisticae hodierna critica historica deprehenduntur tendentias, raptim tradere notulas, opportunum videtur. Varia verborum Christi interpretationis systemata, juxta respectivam suam inquisitionis [me-

In tanta sententiarum, quarum catalogus haud aegre augeri posset, colluvie, valori redemptivo quem in ultima coena morti

thodum et tenorem spectata, sub triplici categoria jure locari posse videntur. I. Primum systema illorum est qui Eucharistiae fontes intra-canonicos valore stricte historico gaudere et sensu litterali intelligendos esse propugnant. Hinc vocem « est » qua in utraque consecrationis formula ad exprimendam relationem inter subjectum et praedicatum, id est inter substantiam panis et vini ab una parte et corpus suum et sanguinem, ab altera, Christus utitur, ut identitatem affirmantem et mediante transsubstantiatione perficientem, proclamant. Et pari modo, quia ex hagiographorum testimonio fide digno, Dominus corpus suum dari pro multis et sanguinem suum esse sanguinem testamentarium, pro multis effusum, affirmat, ideo soteriologici dogmatis proclamationem ipsi Christo vindicant. Ita CATHOLICI, quibus hac in re etiam LUTHERUS adjungi potest : etsi enim reformator, specialem impanationis theoriam tuitus sit, dogma tamen realis praesentiae firma fide tenuit et defendit. II. Secundo systemati proprium est quod fontes nostros ut relativa saltem authentia gaudentes, at sensu plus minus figurato audiendos propugnet. Ab altera parte, quum duae in coena eucharistica sint actuum series, quarum prior spectat ritus a Christo positos et verba ab ipso prolata, id est benedictionem cibi et potus et formulas quibus relationes panem et vinum inter et corpus ac sanguinem suum existentes, necnon mortis suae valorem redemptorium aperuit; altera autem, ipsam donorum a Christo porrectorum sumptionem pro objecto habet, hinc, quae sub hoc altero systemate collocantur sententiae, juxta momentum quod utrique seriei tribuunt, ab invicem distinguuntur. Juxta primam itaque sententiam, essentialis coenae eucharisticae valor, unice in sumptione donorum a Christo datorum residet : praecipuum hujusce typi exemplum praebet descripta interpretatio SPITTA; cui, sub respectu indicato, aequiparari potest opinio BRANDT, *Die evangelische Geschichte und der Ursprung des Christentums*, p. 283 sq. Leipzig, 1893 : batavus enim historiographus communem manducationem, christianam communitatem exprimere opinatur. In secunda sententia, primordiale momentum exclusive actibus et ritibus a Christo peractis adscribitur : et hic interpretatio symbolica stricte dicta obvia nobis occurrit : Dominus rumpendo panem et calicem effundendo, instantem suam mortem exprimere intenderit. Cujus opinionis antesignanum vidimus A. JÜLICHER, cui inter plures alios adjungi potest G. HOLLMANN, *O. c.*, p. 150 sq. Juxta tertiam sententiam, utrique actuum seriei momentum aliquod, majus tamen priori quam alteri competere reputatur. Quam solutionem cum apparatu eruditionis haud spernendae, defendit P. LOBSTEIN, *La doctrine de la sainte cène*, Lausanne, 1889.

suae Christus tribuit, determinando et vindicando, aptiorem esse methodum conduximus, ut in duabus distinctis paragra-

P. 78 sic loquitur : Ceci est mon corps, dit Jésus en rompant le pain qu'il distribue à ses disciples; cette coupe est la nouvelle alliance dans mon sang versé pour vous, leur dit-il en faisant circuler la coupe... Le pain que Jésus rompt pour ses disciples et qu'il leur distribue, ils doivent s'en nourrir... De même que je vous convie à manger de ce pain, ainsi vous êtes appelés à vous assimiler les fruits de ma mort, les effets salutaires de ce don de moi-même, de ce corps livré pour vous ». Lobstein ferme consentiunt O. Holtzmann, W. Schmiedel, *Die neuesten Ansichten über den Ursprung des Abendmahls,* in *Protestantische Monatshefte,* Bd. III, ht. 4. 1899. In quarta tandem sententia secunda actuum series praeponderans asseritur, minus notabilis aut etiam accidentalis valor priori assignatur. Ita Ad. Harnack, cui, etsi non in omnibus, adstipulantur Er. Haupt, *Uber die ursprüngliche Form und Bedeutung der Abendmahlsworte,* Halle, 1894; R. A. Hoffmann, *Die Abendmahlsgedanken Jesu-Christi,* Königsberg, 1896; K. G. Goetz, III, Juxta tertium denique systema, fontes nostri sive ut recentiori tempore interpolati, sive ut posterioris temporis doctrinam, ab ipso Christo abjudicandam, reflectentes, putantur. Quapropter ex totius retro antiquitatis testimoniis, adjuncta fontium critica interna, primitivus et genuinus actuum et verborum Christi tenor et significatio restituenda sunt et « magici » seu sacramentalis dogmatis origo inquirenda est. Qui huic systemati adhaerent, duplicem viam ineunt : alii enim fidem in præsentiam realem et valorem soteriologicum mortis Christi intra ipsius christianae communitatis limites, post Domini exitum, exortam esse propugnant; ita cum aliis Joh. Hoffmann et Axel Andersen; alii vero saltem sacramentale dogma ex aliarum religionum in christianismum influxu derivare allaborant. Ita Heitmüller, *Taufe und Abendmahl bei Paulus,* p. 37 sq. Göttingen, 1903; O. Pfleiderer, *Das Christentum, seine Schriften und Lehren in geschichtlichen Zusammenhang,* I, p. 295[2] sq., II, p. 500[2] sq., Berlin, 1902; P. Gardner, *The origin of the Lord's Supper,* p. 9 sq. London, 1893; Eichorn, *l. c.,* H. Holtzmann. *l. c.,* Goblet d'Alviella, *Eleusinia,* p. 142 sq. Paris, 1903. — Inter opera quae rationalistica placita juxta methodum criticam nostra de materia retundere sibi proposuere, citari debent : Joh. Hehn, *Die Einsetzung der hl. Eucharistie als Beweis für die Gottheit Christi,* Würzburg, 1900; W. Berning, *Die Einsetzung der heiligen Eucharistie,* Münster, 1901; P. Ladeuze, *L'Eucharistie et les repas des fidèles dans la Didaché,* in *Revue de l'Orient chrétien,* pp. 339-359, Paris, 1902; Renz, *Die Geschichte des Messopfersbegriffs,* Münich, 1901-1902; P. Batiffol, *L'Eucharistie dans le Nouveau Testament d'après des critiques récents,* in *Revue biblique,* XII (1903), pp. 497-528; Id., *L'Eucharistie dans la Didaché,* in *Revue biblique,* p. 58 sq. Paris, 1905.

phis, fontium circa Eucharistiae celebrationem superstitium, primo authenticitatis, dein interpretationis et auctoritatis criticam instituamus. Tali quippe via trita et tuta, placita illorum omnium, sive qui hodiernum nostrorum evangeliorum textum interpolatum esse contendunt, sive qui contradictorias aut saltem longe divergentes apud varios hagiographos traditiones prostare autumant, sponte examinanda occurrent : de quibus in priori paragrapho loquemur. In altera autem paragrapho, ipsam fontium interpretationem cum respectu ad soteriologiam instituemus, et quae contra nostram sententiam sive ex critica interna, sive ex antiquitatis documentis extracanonicis in medium afferuntur, critice retundere conabimur.

§ 1. — *Critica textuum et authentiae.*

Quatuor intracanonica quae circa coenae eucharisticae institutionem habemus testimonia, chronologicae suae apparitionis et respectivae suae antiquitatis ordine recensita, ita componuntur ut I Cor. XI utpote anno 53 vel 58 conscriptum, primum teneat locum; secundo Marci XIV tamquam anno 70 anterius recenseatur, Matthaei autem XXVI et Lucae XXII, quia in evangeliis a Marco litterarium in modum dependentibus et certe huic posterioribus inserta, tamquam recentiora exhibeantur. Quae testimonia, si jam juxta realis suae cognationis vel litterariae qua inter se vel communi fonti colligantur dependentiae rationem spectentur, secundum antiquam distinctionem, denuo ab A. Jülicher comprobatam, Marcum cum Matthaeo formam petrinam seu marcianam, Paulum autem cum Luca formam paulinam constituere dicendum videtur. Quod quo magis elucescat et facilius quae mox disputabuntur lectori plana fiant, ipsum fontium tenorem hic transcribere juvat.

Marc. XIV, 22 : Καὶ ἐσθιόντων αὐτῶν λαβὼν ἄρτον εὐλογήσας ἔκλασεν καὶ ἔδωκεν αὐτοῖς καὶ εἶπεν · λάβετε · τοῦτό ἐστιν τὸ σῶμά μου.

23. καὶ λαβὼν ποτήριον εὐχα-

Matth. XXVI, 26 : Ἐσθιόντων δὲ αὐτῶν λαβὼν ὁ Ἰησοῦς ἄρτον καὶ εὐλογήσας ἔκλασεν καὶ δους τοῖς μαθηταῖς εἶπεν · λάβετε φάγετε · τουτό ἐστιν τὸ σῶμά μου.

ριστήσας ἔδωκεν αὐτοῖς, καὶ ἔπιον ἐξ αὐτοῦ πάντες.

24. καὶ εἶπεν αὐτοῖς · τοῦτό ἐστιν τὸ αἷμά μου τῆς διαθήκης τὸ ἐκχυννόμενον ὑπὲρ πολλῶν.

25. ἀμὴν λέγω ὑμῖν ὅτι οὐκέτι οὐμὴ πίω ἐκ τοῦ γενήματος τῆς ἀμπέλου ἕως τῆς ἡμέρας ἐκείνης ὅταν αὐτό πίνω καινὸν ἐν τῇ βασιλείᾳ τοῦ Θεοῦ.

1 Cor. 23 : Ἐγὼ γὰρ παρέλαβον ἀπὸ τοῦ Κυρίου ὅ καὶ παρέδωκα ὑμῖν ὅτι ὁ Κύριος Ἰησοῦς ἐν τῇ νυκτὶ ᾗ παρεδίδετο ἔλαβεν ἄρτον.

24. καὶ εὐχαριστήσας ἔκλασεν καὶ εἶπεν · τοῦτό μου ἐστὶν τὸ σῶμα τὸ ὑπὲρ ὑμῶν · τοῦτο ποιεῖτε εἰς τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν.

25. ὡσαύτως καὶ τὸ ποτήριον μετὰ τὸ δειπνῆσαι λέγων · τοῦτο τὸ ποτήριον ἡ καινὴ διαθήκη ἐστὶν ἐν τῷ ἐμῷ αἵματι · τοῦτο ποιεῖτε, ὁσάκις ἐὰν πίνητε, εἰς τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν.

27. καὶ λαβὼν ποτήριον καὶ εὐχαριστήσας ἔδωκεν αὐτοῖς λέγων · πίετε ἐξ αὐτοῦ πάντες.

28. τοῦτο γάρ ἐστιν τὸ αἷμα μου τῆς διαθήκης τὸ περὶ πολλῶν ἐκχυννόμενον εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν.

29. λέγω δὲ ὑμῖν, οὐ μὴ πίω ἀπ' ἄρτι ἐκ τούτου τοῦ γενήματος τῆς ἀμπέλου ἕως τῆς ἡμέρας ἐκείνης ὅταν αὐτο πίνω μεθ' ὑμῶν καινὸν ἐν τῇ βασιλείᾳ τοῦ πατρός μου.

Luc. XXII, 15 : καὶ εἶπεν πρὸς αὐτούς · ἐπιθυμίᾳ ἐπεθύμησα τοῦτο τὸ πάσχα φαγεῖν πεθ' ὑμῶν πρὸ τοῦ με παθεῖν.

16. λέγω γὰρ ὑμῖν ὅτι οὐκέτι οὐμὴ φάγω αὐτὸ ἕως ὅτου πληρωθῇ ἐν τῇ βασιλείᾳ τοῦ Θεοῦ.

17. καὶ δεξάμενος ποτήριον εὐχαριστήσας εἶπεν · λάβετε τοῦτο καὶ διαμερίσατε εἰς ἑαυτούς.

18. λέγω γὰρ ὑμῖν ὅτι οὐ μὴ πίω ἀπὸ τοῦ νῦν ἀπὸ τοῦ γενήματος τῆς ἀμπέλου ἕως ὅτου ἡ βασιλεία τοῦ Θεοῦ ἔλθῃ.

19. καὶ λαβὼν ἄρτον εὐχαριστήσας ἔκλασεν καὶ ἔδωκεν αὐτοῖς λέγων · τοῦτό ἐστιν τὸ σῶμά μου τὸ ὑπὲρ ὑμῶν διδόμενον · τοῦτο ποιεῖτε εἰς τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν.

20. καὶ τὸ ποτήριον ὡσαύτως μετὰ τὸ δειπνῆσαι, λέγων · τοῦτο τὸ ποτήριον ἡ καινὴ διαθήκη ἐν τῷ εμῳ ἅιματί, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυννόμενον.

Substantiali fontium identitate, quae oculos incurrit, nonobstante, quaedam sive formales sive etiam primo saltem aspectu reales, formam petrinam inter et paulinam, divergentiae intercedere videntur. Easdem, ex professo postea disputandae quum sint, raptim hic recensemus. Prima differentia relationem Eucharistiae institutionis cum coena, quacum historice cohaeret, respicit : dum enim juxta traditionis petrinae documenta, Marc. XIV, 22 = Matth. XXVI, 26, Christus exhibeatur consecrans panem ἐσθιόντων αὐτῶν id est coena durante, in traditione paulina I Cor. XI, 25 = Luc. XXII, 20 consecratio calicis cum paschali coena hisce verbis : μετὰ τὸ δειπνῆσαι (= post coenam) religatur. Secunda differentia in ipsa consecrationis calicis formula deprehenditur : Marcus quippe XIV, 24 et Matthaeus XXVI, 28 hanc consecrationem verbis τοῦτο ἐστιν τὸ αἷμα μου τῆς διαθήκης peractam testantur; porro hujusce formulae loco, Paulus I Cor. XI, 25 et Lucas XXII, 20 hanc alteram tradunt τοῦτο τὸ ποτήριον ἡ καινὴ διαθήκη ἐν τῷ ἐμῷ αἵματι. Tertium tandem discrimen majus spectat mandatum institutionis, quod quum in traditione petrina desideretur, apud Paulum post utriusque consecrationis actum, apud Lucam nonnisi post panis benedictionem expressum prostat.

Descriptae proprietates certe caracteristicae sunt et in favorem tritae distinctionis quam indicavimus, alte loquuntur. Quibus si addatur mira Marcum inter et Matthaeum, in externa etiam coenae descriptionis specie, quae ad litterariam dependentiam usque pertingit, similitudo vigens, ab una parte, et maxima quae inter Paulum et Lucam deprehenditur conformitas, ab altera, prolatam distinctionem esse in tutis repositam, non aegre sustinebitur.

Quae tamen fontium in duplicem categoriam distributio, omnibus auctoribus non placuit. Non desunt quippe critici, qui admittunt quidem Marcum et Matthaeum unius traditionis esse praeconia, Paulum autem et Lucam ad diversos fontes esse referendos ideo asseverant, quia versus 19ᵇ-20, c. XXII Lucae interpolationi adscribendos propugnant : quibus semotis, magna revera Paulum inter et tertium evangelistam discordia apparet. Sunt et alii quibus omnes intracanonici coenae eucha-

risticae fontes, a Pauli doctrina sive scripta sive orali pendere videntur : hinc quae ex his scriptis circa Eucharistiam colliguntur indicationes, unice Paulo theologo adscribendas esse statuunt. Non desunt tandem auctores, qui hagiographorum de coena Domini traditionem integram, posteriori tempore interpolatam adeoque historiae restituendae vix aptam esse proclamant. Quibus sic se habentibus : 1° de generaliori textuum genuinitate; 2° de Lucae XXII, 19[b], 20 authentia; 3° de mutua fontium relatione, per ordinem disputabimus.

A. De generaliori textuum authentia.

Hodiernum nostrorum fontium qui coenam eucharisticam describunt textum, excepto Lucae XXII, 19[b], 20 et demptis quibusdam minoris momenti lectionibus variantibus (1) esse

(1) Critica textualis circa narrationem Matthaei XXVI, 26 sq. perpauca dubia, eaque minoris momenti, movet. Eadem tamen recencere, inutile non videtur. Contra testimonium codicum ℵB, quibus saepius D assentitur, quaedam variantes lectiones in ACDΓΔ, ad posterius tempus pertinentibus, reperiuntur. Sic v. 26 sq. legunt τὸν ἄρτον cum articulo, loco εὐλογήσας ponunt εὐχαριστήσας; τὸ ποτήριον denuo tradunt cum articulo; v. 28 vocem καινῆς ante διαθήκης intruserunt. Porro tales modificationes et additiones, ex harmonisticae studio enatae apparent. Circa solius vocis καινῆς authentiam, etiam antiquiora testimonia inter se discrepant : dum enim ℵBLZ simpliciter τῆς διαθήκης legunt, lectio τῆς καινῆς διαθήκης traditur a codicibus ACDΓΔ, ab itala, vulgata, syriaca, armeniaca et ethiopica versionibus. Verum quia introductio vocis καινῆς in se spectata, longe probabilior quam ejusdem omissio apparet, ideo Tischendorf, Westcott-Hort, von Gebhardt etc. eamdem ut spuriam merito depulsisse videntur. Quod étiam de authentia ejusdem vocis in narratione Marci dictum sonet. — Circa genuinum textum Pauli triplex praecipua movetur difficultas. Prima verborum λάβετε, φάγετε (I Cor. XI, 24), quae in cod. C³KLP tradita reperiuntur, authentiam respicit. Ob eorumdem ab antiquioribus codicibus absentiam, ut spuria habenda sunt. Alia versatur circa adjectivum quod in pluribus manuscriptis, consecrationis super panem perfectae verba τὸ ὑπὲρ ὑμῶν, consequitur : ℵ^c C³D^{bc}EF etc. his addunt κλώμενον, in praesenti; g et plures Patres adjiciunt : quod frangetur, in futuro, D* addit θρυπτόμενον; plures versiones legunt διδόμενον; vulgata ponit : quod tradetur. Hic

authenticum, inter criticos constat. Recenter tamen, extra exegetarum chorum canens, Axel Andersen (1) receptum synopticorum tenorem juxta narrationem Pauli I Cor. XI mutilatum et interpolatum esse, demonstrare aggressus est. Primitivus synopseos tenor, si ipsi credamus, ad substantiam rei quod attinet, sic se habuerit : a) λαβὼν ὁ Ἰησοῦς ἄρτον εὐλογήσας ἔκλασε καὶ ἔδωκεν αὐτοῖς καὶ εἶπε · λάβετε, φάγετε. b) ἀμὴν λέγω ὑμῖν ὅτι οὐκέτι οὐμὴ φάγω ἀπ' αὐτοῦ, ἕως ὅτου καινὸς βρωθῇ εν τῇ βασιλείᾳ τοῦ Θεοῦ. c) καὶ δεξάμενος ποτήριον εὐχαριστήσας εἶπε, λάβετε τοῦτο καὶ διαμερίσατε ἑαυτοῖς, d) ἀμὴν λέγω ὑμῖν ὅτι οὐμὴ πίω ἐκ τούτου τοῦ γενήματος τῆς ἀμπέλου ἕως τῆς ἡμέρας ἐκείνης ὅταν αὐτὸ πίνω καινὸν ἐν τῇ βασιλείᾳ τοῦ θεοῦ.

Cui inauditae sententiae suae, ut aliquam scientiae speciem communicaret, sequentibus rationibus se munivit. 1° Gentium apostolus suam coenae eucharisticae descriptionem his introducit verbis ἐγὼ γάρ (I Cor. XI, 23), quae ad aliam ejusdem objecti narrationem, oppositionem dicunt. Jam autem si primitivae suae simplicitas et claritas synopticis restituantur, et exclusis quae cum Pauli descriptione cohaerent elementis, solummodo Matth. XXVI, 26ª, Marc. XIV, 22ª, 23, 25, Luc. XXII, 16, 17, 18 retineantur, in his coenae descriptionem, quae cum I Cor. XI non quadret, adesse reperietur; et haec est quam apostolus impugnat. Quod quomodo textus comprobent, A. Andersen sic subtiliter explicat : Lucae XXII, 16 et 18 undequaque inter se similes apparent : jamvero versum 18 praecedit invitatio ad apostolos directa accipiendi et inter se contentum calicis dividendi : unde talis invitatio etiam versum 16 primitus res-

etiam cum von Gebhardt etc. in textu primitivo adjectivum nullum stetisse, adeoque cum ℵ*ABC* esse simpliciter legendum τὸ ὑπὲρ ὑμῶν, censemus. Tertia tandem difficultas spectat authentiam ipsorum verborum τὸ ὑπὲρ ὑμῶν : cum autem dubia hac de re mota criticam internam respiciant, ideo hujusce quaestionis solutionem ad infra disputanda remittimus.

(1) *Das Abendmahl in den zwei ersten Jahrhunderten nach Christus* prius, in *Zeitschrift für neutestamentliche Wissenschaft*, III (1902), ht. 2 et 3, p. 115 sq.; dein in forma monographiae sub eodem titulo conscriptae (Giessen, 1904) vulgatum.

pexerit. Ab altera parte, eadem invitatio etiam apud Matth. XXVI, 26 in verbis λάβετε, φάγετε reperitur : solam quidem panis traditionem in hodierno textu comitatur, at ob actuum parallelismum, eamdem primitus etiam calicem respexisse, suspicari licet.

Insuper 2° primitivi synopseos tenoris etiamnum varia indicia colligi possunt : α) versus quippe c et d apud Lucam servati prostant : tradendo calicem, Jesus vinum non amplius nisi novum in regno se accepturum proclamat. Jam autem, apud Marcum iidem versus leguntur separati per versum 24 qui contextum abrumpit et elementum aeque inauditum ac inexspectatum, nempe sanguinem Christi introducit (1). Hunc itaque versum tamquam adventitium ex textu exscindamus oportet. β) Ad ipsum tertium evangelium si convertamur, praesentiam v. 19-20 (XXII) denuo contextum abrumpere, clarum est : in dictis enim versibus nulla oppositio cum versu 21, quam tamen exigit et infert vox πλήν, adinveniri potest. Quapropter versus 19-20 ex textu Lucano depellendi sunt. Quod si cui hac de re dubium supersit, ad ordinem et historiam interpolationum, quas circa Lucae narrationem variantes lectiones, nimirum versiones syriacae sinaïtica et curetoniana factas testantur, per momentum animum convertat. Per modificationem versus a, caracter paschalis coenae eucharisticae introductus et panis mentio semota est (v. 15). Cui defectui ut mederetur, syr. sinaïtica post v. 16 panis mentionem ex I Cor. XI mutuatam, introduxit : hinc desiderabatur invitatio λάβετε φάγετε, et ejus loco mandatum institutionis ποιεῖτε... εἰς τὴν ἐμὴν ἀναμνῆσιν intrusum est. Tali autem processu, textus primitivus radicitus evertebatur : hinc post verba μετὰ τὸ δειπνῆσαι et ipsa ex Paulo desumpta, non tantum primitivus versus c sed et formula consecrationis calicis, quam habet apostolus I Cor. XI, 25 introducta sunt. En versionis syriacae sinaïticae originem, qualem restituit A. Andersen, schematice expressam :

(1) Observandum est in sententia Andersen, apostolum formulas eucharisticas ut sacramentales nondum intellexisse. Ideo in hodierno Marc. et Matth. textu et interpolatio prostaret, et haec ipsa in sensu, a fontis sui conceptione remotissimo intelligenda esset.

Textus synopticus primitivus	I Cor. XI
a	v. 24 b et c
καὶ λαβὼν ἄρτον εὐχαριστήσας ἐπ' αὐτῷ ἔκλασε καὶ ἔδωκεν αὐτοῖς, λέγων	τοῦτό ἐστι τὸ σῶμά μου ὃ ὑπὲρ ὑμῶν δίδωμι· οὕτως ποιεῖτε εἰς τὴν ἐμὴν ἀναμνήσιν. καὶ μετὰ τὸ δειπνῆσαι
c	v. 25
δεξάμενος ποτήριον εὐχαριστήσας εἶπεν· λάβετε τοῦτο καὶ διαμερίσατε εἰς ἑαυτούς.	τοῦτό ἐστιν τὸ αἷμά μου ἡ καινὴ διαθήκη.

Curetoniana vero hanc versuum successionem 14, 15, 16, 17, 19, 18, 21 introduxit : interpolationes itaque a sinaïtica adinventas, simul ac logion eschatologicum indubie authenticum conservavit. Eodem ferme modo processerunt codex D, a, i, ff², in quibus textus relative genuinus, mutuatione tamen ex I Cor. XI facta adulteratus, legitur. Conclusio fluit : versus 19-20 in textum tertii evangelii posteriori tempore juxta narrationem paulinam introducti sunt.

3° Tertium tandem eidem sententiae argumentum suppeditat quartum evangelium : quaevis enim sive ad coenam paschalem sive ad sacramenti Eucharistiae institutionem allusio, apud Joannem penitus desideratur. Cur autem et ipse, ut christianae communitatis fidei et praxi consentiat eamque confirmet, retractatus non sit, ratio est, quod omnia quae tradit doctrinae elementa et facta, tam egregie inter se cohaerent, ut omni retractationi aut additioni, aditus quivis sit praeclusus.

* * *

Descriptam sententiam, authentiae fontium impugnandae esse imparem, nemo est qui non videat. Tota quippe qua innititur argumentatio, huc redit : si synoptici consecrationis formulis

purgentur, magna statim ipsos inter et Paulum divergentia apparet; jam autem in hodierno synopseos textu haec divergentia non tantum non occurrit sed mira inter quatuor hagiographos similitudo deprehenditur. Quapropter in quibus residet conformitas, textus praescindantur oportet. Verum doctum Andersen statim rogamus, quanam de ratione a synopticis Paulus dissentire debeat. An quia verbis ἐγὼ γάρ, quae ad aliam circa idem objectum traditionem vulgatam, contradictionem dicunt, doctrinam suam eucharisticam apostolus introducit? Ita quidem laudatus auctor. Verum quantum haec assertio valeat, ex contexta horum verborum oratione haud aegre dijudicari potest. Apostolus enim abusus, qui Corinthi coenae celebrationem irrepserant, reformaturus, historicam Eucharistiae institutionem denuo reconstituit, cum animadversione se idem mysterium Corinthios jam antea docuisse, suamque ejusdem cognitionem ex fonte fide digno esse mutuatam. Expositio itaque apostoli huc unice tendit, ut dignitatis et excellentiae coenae eucharisticae Corinthii memores facti, eam qua par est reverentia in posterum celebrent. Verba ἐγὼ γάρ potius emphasim quam oppositionem denotant, et si quae oppositio ipsis inhaereat, hanc cum respectu ad abusus exprimi dicendum est. Insuper ab Andersen rogari potest, quonam tempore ipse nostra evangelia synoptica conscripta supponat, ut queat Paulus in conscripta anno 53 vel 58 epistola, contra ipsa pugnare. Pro certo enim tenendum est, tempore conscriptionis I^{ae} Corinth. nullum nostrorum evangeliorum canonicorum exstitisse; imo redactionem documenti quod nostris synopticis ad modum fontis inservierit, huic epistolae esse anteriorem, demonstrari nequit : quapropter a materiali impossibilitate opinio Andersen excusari vix poterit.

Mirationem etiam movere debet praetensas interpolationes, in re tanti momenti citra oppositiones et protestationes, fieri potuisse, et praesertim primitivi textus, nequidem unius ex tribus synopticis, in tota retro antiquitate vestigium quodvis litterarium servatum non esse. Supponit quidem Andersen evangelia obscuriorem historiam habuisse (1), nec ut Eucharistiae

(1) *O. c.*, p. 43 sq.

fontes fuisse adhibitos. Verum tale effugium quantum valeat, facile dijudicabit lector, apud A. Resch (1) locorum parallelorum extracanonicorum ad hodiernum synopticorum textum seriem inspiciendo. Ne tamen a nostrae inquisitionis objecto divertamur, interpolationum quas subierit Lucas, historiam pressius investigare juvat. Tertium evangelistam, utpote post Marcum conscribentem, coenae eucharisticae descriptionem omisisse — sicut eamdem simile ob motivum omisit Joannes — et postea ipsius evangelium juxta I Cor. XI completum esse, a priori impossibile non est. Verum, eumdem coenae narrationem de facto curare voluisse, ex oeconomia capitis XXII, ubi Christus apparet ita pascha celebrans, ut manducatio paschatis ut typus sequentis coenae eucharisticae describatur, luculenter patet, et ex critica textuali ejusdem capitis, cujus quotquot documenta supersunt coenam eucharisticam, etsi diversa sub forma, tradunt, confirmatur. Et hoc factum omni seriae circa textum Lucanum inquisitioni ad modum fundamenti inservire debet : quod negligens, Andersen revera extra criticam versatur.

Prolatae animadversioni accedit et haec, originem ab eodem auctore versionibus syriacis, codici Bezae et variantibus versionis latinae praehieronymianae lectionibus assignatam, esse prorsus inacceptabilem, imo futilem. Et imprimis versionem sinaiticam quod spectat, litterarie non a Paulo sed ab hodierno Lucae textu dependet. Juxta ipsam enim ejusdem versionem, ab Andersen curatam, Christus exhibetur accipiens panem, adhibito participio aoristo καὶ λαβὼν ἄρτον, illumque discipulis porrigens καὶ ἔδωκεν αὐτοῖς : porro utrumque elementum caracterizat hodiernum textum Lucae, apud Paulum vero desideratur.

Luc. XXII, 19. καὶ λαβὼν ἄρτον εὐχαριστήσας ἔκλασεν καὶ ἔδωκεν αὐτοῖς λέγων...	Sinait. καὶ λαβὼν ἄρτον εὐχαριστήσας ἐπ' αὐτῷ ἔκλασεν καί ἔδωκεν αὐτοῖς λέγων...	I Cor. XI, 23. ἔλαβεν ἄρτον καὶ εὐχαριστήσας ἔκλασεν καὶ εἶπεν...

(1) *Aussercanonische Paralleltexte zu den Evangelien*, in *Texte und Untersuchungen*, X, p. 627 sq. Leipzig, 1895.

Et eadem litteraria versionis sinaïticae respectu hodierni textus Lucae dependentia, etiam in formula consecrationis calicis deprehenditur : sinaiticam enim versionem versus 17 et 20 Lucae in compendium retractasse inde elucet, quod verba λάβετε τοῦτο καὶ διαμερίσατε εἰς ἑαυτούς, quae hodierno tertii evangelii textui propria sunt, in eadem servata reperiantur. Reponit quidem Andersen verba ποιεῖτε et εἰς τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν esse specifice paulina adeoque, quum in sinaitica prostent, Paulum huic ad modum fontis inserviisse. Verum haec assertio facili negotio convellitur et retorquetur. Quae enim ut specifice paulina indigitantur verba, identice eadem etiam a Luca traduntur. Hinc, quum aliunde litteraria cognatio inter tertium evangelium et versionem sinaiticam demonstretur, cur verba quae Paulo et Lucae communia sunt, ex priori tendentiose mutuata praedicemus, ratio non exstat. Insuper, quum institutionis mandatum, quod apostolus I Cor. XI, 24 et 25 duplicat, nonnisi semel tum in hodierno Lucae textu, tum in sinaitica versione et quidem utrobique post panis consecrationem relatum occurrat, ex iis ipsis quae contra sententiam nostram opponuntur, eamdem potius confirmari dicendum est. Radicalibus ergo Andersen assertionibus, hanc aliam jure merito opponimus: versio sinaitica hodiernum Lucae textum cognovit et adhibuit : cum eodem enim substantialiter concordat; quod autem textum ab Andersen restitutum cognoverit et adhibuerit, nihil innuit estque arbitraria assertio (1).

Ad curetonianam, codicem Bezae et versionem latinam antehieronymianam, si jam convertamur, in eamdem conclusionem deveniamus oportet. Dicta quidem documenta — dempta curetoniana, versus 19[b], 20 omittunt; paschatis autem celebrationem, hodierno Lucae textui exclusive propriam et quam Andersen posteriori interpolationi adscribere non veretur, servarunt. Insuper v. 19[a] Eucharistiae primum actum seu panis

(1) Utrum nexus inter v. 20 et 21 c. XXII Lucae abrumpatur, et in hypothesi authentiae v. 19-20 vox πλήν sufficienter non explicetur, ut opinatur Andersen, infra, ubi ex professo de tertii evangelii testimonio loquemur, inquiretur.

consecrationem et quidem in forma non a I Cor. XI sed a Lucae textu vulgato mutuata, exhibent.

Narrationis marcianae authentiam ut vindicemus, quaedam dicenda supersunt. Uti supra ponebamus, versus 22[b], 24, sacramentale dogma adstruentes, ideo resecandos vult Andersen, quod verbis Christi eschatologicis, indubie authenticis, v. 25 id est in contextu immediate subsequente contentis, et quae sic sonant : « amen dico vobis, quia jam non bibam de hoc genimine vitis usque in diem illum, quum bibam illud novum in regno Dei », ineluctabili evidentia contradicant. Potestne enim vinum consecratum simul manere vinum et in sanguinem Christi converti ?

Ad haec respondemus verba Christi eschatologica diversum in diversis fontibus locum sortiri ; adeoque quisnam historice loquendo locus ipsis competat, esse ulterius inquirendum. Porro ut ex fontium examine comparato infra conficiemus, a Marco et Matthaeo eadem extra historicum suum contextum deturbata et litterarium ob motivum, post Eucharistiae institutionem — et quidem asyndetice — relata sunt; Lucae autem, non tantum post coenae paschalis celebrationem sed et in intima ad illam relatione eadem reponenti, hac in re indubie est assentiendum.

Nec majori demonstrativa vi pollet ejusdem auctoris argumentatio, parallelismo inter Lucae XXII 16 et 18 et Matthaei XXVI, 26 λάβετε, φάγετε, existente, innixa. Aut enim meram petitionem principii continet, aut nimis manifeste erronea dicenda est. Si enim dicatur in versibus indicatis, invitationem Christi unice panis et vini ab ipso apostolis porrectorum traditionem primitus respexisse et *consequenter* illas invitationes, quae in nostris textibus respective coenam paschalem (Luc. XXII, 16 et 18) et corpus Christi (Matth. XXVI, 26) spectare reperiuntur, esse retractatas et interpolatas, manifeste quaestio de coenae Domini caractere in sensum coenae ordinariae, soluta supponitur. Porro interpolatio non est supponenda sed demonstranda, et certe ex enumeratione conclusionum, quae ex aliqua interpolatione fluerent, hujus existentia non conficitur. Quod si assertio huc tendat, ut haec ipsa invitationum, quas habent Lucas XXII, 16 et 18 et Matth. XXVI, 26

identitas, interpolationem demonstrare dicatur, ut erronea nimis depellenda est. Apud Matthaeum enim verba λάβετε, φάγετε panis consecrati traditionem comitantur, apud Lucam vero v. 16 et 18, c. XXII paschatis manducationem respiciunt. Quapropter dictas invitationes identificare nefas est, et si identificarentur, non coenam ordinariam sed aut paschalem aut eucharisticam denotarent.

Prolatas animadversiones, radicali et gratuitae Andersen sententiae depellendae sufficientes reputamus. Ampliora contra eamdem argumenta suppeditabunt illa quae mox disputanda occurrent et imprimis textus genuini Lucae restitutio. Quam antequam aggrediamur, per modum conclusionis, sequentem propositionem statuimus : Canonicae circa cœnam eucharisticam narrationes, demptis quibusdam minoris momenti lectionibus variantibus, necnon Lucae XXII, 19-20 authentia, textum stabilem et juxta criticam textualem bene stabilitum exhibent. Quapropter conamina, quibus A. Andersen earumdem authentiam et integritatem recenter labefactare attentavit, intento scopo esse imparia, dicendum est (1).

B. De authentia Lucae XXII, 19-20.

Momentosum certe et solutu difficile est problema quod circa authentiam et oeconomiam narrationis circa Domini coenam a Luca XXII, 15-20 curatae, agitatur. Inde enatum reperitur, quod in sua Novi Testamenti editione critica Wescott et Hort (2) versus 19^b, 20 uncinis incluserint, sic horum authentiam in dubium revocantes, recensitis etiam in operis sui appendice dubii rationibus. Quos secuti, Haupt (3), Brandt (4), Titius (5),

(1) In *Revue biblique,* 1905, p. 137, opus Andersen sic breviter dijudicatur : « Voilà au moins une brochure bien remplie et, en outre, originale, d'une originalité qui dépasse les limites permises du paradoxe ».

(2) *The new Testament in the original Greek.* Introduction and Appendix, p. 63 sq. Cambridge and London, 1893.

(3) *Uber die ursprüngliche Form und Bedeutung der Abendmahlsworte,* p. 9 sq. Halle, 1894.

(4) *O. c.,* p. 283 sq.

(5) *Die neutestamentliche Lehre von der Seligkeit und ihre Bedeutung*

Joh. Hoffmann (1), B. Weiss (2), Joh. Weiss (3), A. Loisy (4) et alii contra authentiam v. 19^b, 20 jam aperte rebellarunt. Ab altera parte, eosdem versus authenticos esse propugnarunt critici non pauci ut Spitta (5), Schultzen (6), R. Schaefer (7), Resch (8), Schmiedel (9), Feine (10), Schweitzer (11), Hehn (12) et Berning (13).

Sub respectu externo sive traditionis manuscriptialis, narratio Lucana v. 15-20 sub quatuor praecipuis formulis diversis ad nos pervenit. 1° Textum longiorem exhibet tota traditio manuscriptialis graeca, excepto codice D bilingui, in quo tenor graecus tenori latino adaptatus videtur; 2° codex D et quaedam versionis latinae antehieronymianae aff² il versus 19^b, 20 simpliciter omittunt; 3° eadem omissio deprehenditur etiam in manuscriptis b et e; his insuper proprium est quod versus 17 et 18 post 19^a referant; 4° versiones tandem syriacae, sinaitica et curetoniana, lectionem ab his omnibus differentem, de facili tamen ad unam alteramve ex ipsis reductibilem, tradunt. Sinaitica enim cum textu longiori, abbreviato tamen et retractato

für die Gegenwart. I *Die Lehre Jesu vom Reiche Gottes,* p. 147 sq. Freiburg, 1895.

(1) *Das Abendmahl im Urchristentum,* p. 7 sq. Berlin, 1903.

(2) *Textkritik der vier Evangelien,* in *Texte und Untersuch.* Neue Folge, Bd. IV, ht. 2, p. 281. Leipzig, 1899.

(3) *Die Predigt Jesu vom Reiche Gottes,* p. 198 sq. Göttingen, 1900, et recentius. *Das älteste Evangelium,* p. 294 sq. Göttingen, 1903.

(4) *L'Evangile et l'Eglise,* p. 72, nota 1ª, Paris, 1902.

(5) *O. c.,* p. 295 sq.

(6) *Das Abendmahl im Neuen Testament,* p. 6 sq. Göttingen, 1895.

(7) *Das Herrenmahl nach Ursprung und Bedeutung,* p. 191 sq. Gütersloh, 1897.

(8) *Aussercanonische Paralleltexte zu den Evangelien,* in *Texte und Untersuchungen,* Bd. X, ht. 3, p. 646 sq. Leipzig, 1895.

(9) *Protestantische Monatshefte, herausgegeben von Websky,* p. 125 sq. 1899.

(10) *Jesus-Christus und Paulus,* p. 212 sq. Leipzig, 1902.

(11) *Das Abendmahlsproblem auf Grund der wissenschaftliche Forschung des 19 Jahrhundert,* p. 45 sq. Tübingen, 1901.

(12) *O. c.,* p. 25 sq.

(13) *O. c.,* p. 25 sq.

substantialiter concordat; curetonianam quod attinet, versum 19 servavit integrum, ipsum immediate post v. 15 et 16 reportans : neglectus itaque versus 20 et successio versuum haec 15, 16, 19, 17, 18, 21, ipsi propria sunt.

Ex solius traditionis manuscriptialis examine, inter textum traditionalem seu longiorem — qui et alexandrinus dicitur — et breviorem — qui occidentalis vulgo appellatur — esse optandum, et reliquas lectiones ut totidem conamina harmoniae inter textum breviorem ab una parte, et longiorem aut praxim circa celebrationem Eucharistiae ubique vulgatam, ab altera, esse amovendas, obvie concludendum videtur. Et revera de sola optione quam diximus, quoad plurimum critici solliciti apparent.

Attamen Th. Zahn problematis solutionem extra tritas vias adinveniendam esse ratus, lectionem Lucae authenticam eam esse quam conservarunt codices b et e propugnavit; lectio itaque brevior esset quidem authentica, at non illo versuum ordine quem tradit codex D sed ita ut v. 17 et 18 post 19ª recenceantur, legenda (1). Quo delectu, doctus exegeta adinvenisse se putat lectionem : 1° aetate reliquis antiquiorem, 2° aliarum lectionum derivationi explicandae aptiorem, 3° grammatice elegantiorem, adeoque critice potiorem.

Verum textum b et e dictis qualitatibus eminere, nobis non probatur. Et imprimis ad testioniorum aetatem quod attinet, ipsos codices b et e hic in medium adduci non posse, luculenter patet. Advertit quidem Zahn versiones syriacas et certe curetonianam, ex textu quem repraesentant b et e derivatas esse; hunc ergo medio saeculo II posteriorem non esse. At talis considerationis antecedens, versionum nempe syriacarum ex solo textu quem servarunt b et e derivatio, ad minus dubium apparet. Versionem enim syriacam sinaiticam textum longiorem in compendium retractasse, supra jam confecimus. Insuper etiam curetonianam textum longiorem cognovisse, inde elucet quod v. 19ᵇ, qui in b et e deficit, tradat. Nulla itaque possibili argumentatione, lectionem breviorem, sive sub forma b et e, sive sub forma D, longiori antiquiorem esse, confici potest.

(1) *Einleitung in das Neue Testament*, II, p. 359² sq. Leipzig, 1900.

Nec majori demonstrativa vi pollet praetensa textus b et e, ad variantium lectionum originem aperiendam, aptitudo. « Concipi nequit, ait Zahn, derivatio textus b et e ex longiori, contra, longiorem ex b et e enasci potuisse, haud aegre intelligitur. Christianis enim narrationem sive Marci et Matthaei, sive praesertim Pauli cognoscentibus, cur ex Luca v. 19[b], 20 delerent, nulla suppetebat ratio; quod vero calix Lucanus sacramentalem se non dicat, textum interpolandi obvie ansam praebere debuit. Quam interpolationem facturi, quum satis primitivo tempore tertium evangelium ut evangelium Pauli consideraretur, quasi sponte desumpserunt verba Pauli I Cor. XI, 24 et 25 eaque in Lucam transtulerunt (1). »

Quae assertio illi soli, qui non considerat textum occidentalem ut catenam, qua media textus b et e ex longiori derivatus est, fucum facere nata est; verum penitus excidit si haec intermediatio sive filiatio ante oculos habeatur. Textus quippe occidentalis — sive genuinus sit, sive non — quum in oppositione manifesta ad Marcum, Matthaeum et Paulum, necnon ad praxim totius Ecclesiae primitivae, narrationem coenae Domini, referendo panis consecrationem terminet, jam primitus displicere debuit. Indebito itaque actuum ordini quem exhibet, reducendo v. 17 et 18 post 19[a], mederi quaesierint : tali quippe modificatione, calicis consecratio panis benedictioni succedere describebatur, et dicta anomalia evanescebat. Processu itaque undequaque logico et naturali, ex textu occidentali derivata est lectio, quam Zahn non esse derivatam affirmat! Ceterum, tota celebris exegetae argumentatio procedit ex falso supposito hoc, versiones

(1) *O. c.*, p. 360. De textu breviori, quem repraesentant codex Bezae et quaedam manuscripta versionis latinae antehieronymianae aff[2] il, Zahn mentem suam sic aperit : « III (= D) kann auch darum nicht ursprünglich sein, weil hiedurch der einzige Kelch... vor das Brod gestellt ist. Dies widerspricht aber aller Tradition, sowohl des N. T's (I Cor. XI, 24 sq., X, 3 sq.; Matth. XXVI, 26 sq.; auch Marcion und Tatian) als der liturgischen Praxis. Dagegen kann man die Vorausstellung des Kelchs vor das Brod, I Cor. X, 16 sq. oder gar vor den Tisch d. h. vor die ganze Mahlzeit, v. 21 nicht als gegenteiliges Zeugnis anrufen, denn ein Widerspruch des Paulus mit sich selbst in so engem Umkreis ist undenkbar. »

variantes omnes ex industria et intentionali textus retractatione enatas esse : porro tale suppositum, ut mox conficiemus, stabiliri nequit; hinc tota superstructura est gratuita. Tandem argumentatio a Zahn adducta, facili negotio retorqueri potest. Ut enim scite observat Haupt, posito textum b et e esse primitivum, nemini umquam tentatio oborta esset, hunc quem praesentat versuum ordinem modificandi : sub tali enim tenore, calix v. 17 et 18 indubie eucharisticus non paschalis esset, et apud Lucam narrationem narrationi duorum priorum synopticorum undequaque parallelam haberemus.

Lectionem itaque b et e ex desiderio textum occidentalem cum praxi totius Ecclesiae coaequandi, enatam esse, merito censueris. Quam assertionem, exemplo suo, mirum in modum recenter comprobavit J. Viteau (1). Hic enim exegeta sola, ut ipse testatur, critica interna innixus, ad hanc adductus est conclusionem ut versuum ordinem 15, 16, 19ª, 17, 18, 21, qui est praecise ordo codicum b et e, ut primitivum defenderet. Videamus jam utrum argumenta, quibus ipse innititur, judicio stent.

Contra textus longioris authentiam, sequentia praejudicia profert : 1° versus 15 et 16 agunt de paschatis manducatione, post quam manducatio corporis Christi naturaliter exspectatur : porro non haec subsequitur sed ejus loco, calicis consecratio; calix itaque ante panem consecratur. 2° Dein v. 20 de calice denuo fit mentio, sicque inextricabiles difficultates procreantur : *a)* mirationem jam movet, calicem etsi prius consecratum, solummodo post manducationem panis bibendum porrigi; *b)* v. 17 exprimitur mandatum ad discipulos directum, calicem sumendi : hinc jam nequit idem calix post coenam dari, quod tamen ponit v. 20; *c)* denique v. 20 sub hac formula introducitur : καί τὸ ποτήριον ὡσαύτως : porro per vocem ὡσαύτως intelligi datur, Christum eumdem ritum super calicem, quem super panem, perfecisse, scilicet ritum consecrationis, ut expressis verbis v. 19 legitur : quapropter, quia jam semel calix benedictus pro-

(1) *L'Evangile de l'Eucharistie,* in *Revue du clergé français,* t. XXXIX, p. 5 sq. Paris, 1904.

clamatur v. 17, sequeretur — si textus longior authenticus asseratur — calicem bis consecratum fuisse, quod est absonum. — Et similes etsi leviores difficultates circa textum occidentalem (D) deprehenduntur : *a)* etiam ipse distributionem calicis ut paschatis manducationi succedentem describit; *b)* et quaevis grammaticalis aut logica inter v. 19ª et 21 connexio desideratur.

Jamvero, si post v. 19ª reponantur versus 17 et 18, hisque, omisso v. 20, immediate succedat v. 21, omnis anomalia removetur; imo narrationis oeconomia, quae per leviorem textus occidentalis modificationem obtenta, idearum distributione ac parallelismo adeo splendet, ut vix non authentica esse nequeat. Manducationem enim paschatis subsequitur sumptio Eucharistiae; dein v. 18. « Dico enim vobis quod non bibam de generatione vitis donec regnum Dei veniat » duplex exprimitur idea, mortis scilicet Christi et fundationis regni Dei, quibus iterum duae assertiones, respective traditorem et destinationem Jesu spectantes (v. 21-22), egregium in modum correspondent.

At lector quispiam verba τὸ ὑπὲρ ὑμῶν... ἐκχυννόμενον ut notam marginalem ad v. 17 apposuerit, et haec copista in ipsum textum intruserit : inde totius mali origo repetenda est. Imo, teste Viteau, ex critica textuali, interpolationis fons litterarius etiam num detegi potest. In textu Lucae occidentali, sic ille, novem aliae interpolationes in ultimis capitibus reperiuntur, ex quibus quatuor novos eventus seu facta introducunt. Porro, quum in nullo documento superstite, talia prostent, et ipsa interpolatio v 19ᵇ, 20 ex I Cor. XI mutuata dici nequeat, hanc additionum seriem ex evangelio nunc deperdito desumptas esse, concludere reliquum est (1).

(1) Viteau, *l. c.*, p. 17 sq. praetensi evangelii deperditi cum fontibus canonicis relationes pressius determinare studuit. Conclusionis instar hanc duplicem effert hypothesim. I. Quum Paulus I Cor. XI, 23, se suam circa Eucharistiam cognitionem ab ipso Christo accepisse et eamdem Corinthiis se tradidisse affirmet, dicendum, praeter ipsam I Cor. narrationem, doctrinam eucharisticam oralem et publicam ab apostolo vulgatam esse : ex hoc orali fonte, interpolatio v. 19ᵇ 20, si praecisive spectetur, desumi potuit. II. Vel dici potest duplicem exstitisse circa

Hucusque quidem Viteau. Considerationes quas in favorem textus b et c protulit, sub his tribus capitibus de facili complectuntur : 1° textui tum alexandrino tum occidentali, difficultates adeo graves ut tertium ab utroque distinctum textum restituere necesse sit et licitum, inhaerent : en theseos fundamentum; 2° quae assertio, si problema cum respectu ad novem alias interpolationes, in ultimis textus Lucae occidentalis capitibus obvias occurrentes, consideretur, multum roboratur : tali enim processu, versus 19ᵇ, 20 ex evangelio nunc deperdito mutuatos esse, prius ad modum notae marginalis constitisse et mox ipsum textum ingressos esse, probabilissimum fit; 3° quibus semotis, per simplicem transpositionem versuum 17 et 18 post 19ᵃ, egregius textus obtinetur : lectio quippe ex tali ordine resultans, tum mirabili idearum connexione, tum sua cum aliis synopticis cognatione vel saltem similitudine, se commendat.

* * *

Descripti systematis crisim jam instituere lubet. Ipsum opinionis fundamentum quod spectat, statim respondemus argu-

coenam Domini traditionem, priorem hierosolymitanam, exque cognitione undecim apostolorum mutuatam, paulinam alteram in speciali revelatione apostolo gentium facta, fundata : dum autem I Cor. specialem Pauli scientiam reflectatur, tres synoptici et auctor interpolationis v. 19ᵇ-20 fontem palestinensem adhibuerint. — Sed his adhaerere non possumus. Omisso etiam quod postea probabimus, interpretationem verborum I Cor. XI, 23 « ego enim accepi a Domino » in sensum revelationis seu acceptationis immediatae, esse erroneam, secundam hypothesim recensitam omni carere verisimilitudine manifestum est. Quomodo enim, hac posita, adeo differre possent inter se et praesertim ab interpolatione v. 19ᵇ-20, Marcus et Matth. ab una parte et Lucas XXII, 15-19ₐ ab altera, si omnium testimoniorum horum communis fons immediatus, admittendus sit? Et qua ratione possetne explicari, maxima quae Paulum inter et Luc. v. 19ᵇ-20 deprehenditur similitudo, quae ad litterariam dependentiam vix non pertingit, si uterque hagiographus ad fontem diversum se retulerit? Prior vero hypothesis est solida omnino, et nos eamdem tuemur, excepto quod loco interpolatoris — quem admittere nulla ratio cogit vel etiam suadet — ipsum Lucam ut auctorem v. 19ᵇ-20 ponimus.

mentationem Viteau duplici inniti elemento, scilicet thesi hac, calicem v. 17 esse eucharisticum, et hypothesi illa, Lucam coenae eucharisticae celebrationem bis referre non potuisse : ex utroque asserto dein infertur v. 20 — quem omnium consensu eucharisticum esse constat — a Lucae paternitate abjudicandum esse. Jam autem dum ipsam hypothesim ut falsam respuit P. Batiffol (1), nos thesim ut erroneam depellimus. Ipsam itaque thesim critice experiamur.

J. Viteau et P. Batiffol commune suum placitum, scilicet v. 17 et 18 coenam non paschalem sed eucharisticam spectare, sequentibus argumentis muniunt : 1° v. 17 introducitur vox ποτήριον absque articulo; contra v. 20 ad eamdem vocem articulus additur, quo sermonem fieri de re de qua mentio jam facta est, indicetur. Quod et confirmat ritus solemnitas, qua Jesus calicem benedicere dicitur et quae, nisi de Eucharistia agatur, essendi rationem non habet. 2° Prioris calicis v. 17 traditionem comitantur haec verba : Non bibam amodo de generatione vitis etc. » jamvero apud Marcum et Matth., calix super quem eadem verba prolata reperiuntur, eucharisticus est. Ceterum, nonne per se liquet calicem quem talis assertio Christi comitatur, non esse penultimum sed ultimum? 3° Addatur tandem et splendidus parallelismus, quem supra expositum videre est.

Verum prolatae considerationes, etsi magna cum acribeia adinventae, crisi vix resistunt. Quis enim non videt primum ex adductis argumentis esse mere subjectivum? Articulum quippe v. 20 praecedentem ποτήριον ad designandum calicem κατ' ἐξοχήν seu eucharisticum adhibitum esse, optimo jure dici potest; absentia autem ejusdem a v. 17 talis calicis absentiam denotare potest. Ceterum, momentum quod fundet articulus, hagiographi in enarranda ultima coena, vix attendisse videntur : dum enim Paulus I Cor. XI eumdem adhibuit, Marc. XIV, 23 et Matth. XXVI, 27 eumdem omisere. Insuper Viteau, ubi in argumentum invocat praesentiam articuli v. 20, ipsam suam thesim oblitus videtur : si enim articulus jam prostabat in fonte

(1) *L'Eucharistie dans le Nouveau Testament*, in *Bulletin de littérature ecclésiastique*, p. 149 sq. Paris, 1903.

interpolationis, argumentum — in quo supponitur articulum indicare objectum de quo jam mentio facta est — manifeste non procedit; si vero adscribatur interpolatori, huic ratiocinium subtilissimum et vix fundatum adscribetur, quod est absonum; et certe non sufficit dicere cum nostro auctore, v. 19^b, 20, ut leguntur, prius in margina dein in textu locatos esse. — Ad solemnitatem vero ritus, quacum prior Lucae calix consecratus dicitur, reponimus, totam coenam paschalem solemnioris ritualis regulis tempore Christi fuisse circumscriptam, ut suo loco exponetur. Insuper solemnitas ritus hic descripta, non est tanta : Christus simpliciter dicitur sumpsisse calicem, gratias egisse « εὐχαριστήσας », et calicem porrexisse discipulis. Porro solita fuit Christo gratiarum actio, ut apparet ex. gr. ex multiplicatione panum Matth. XIV, 19, XV, 36; imo ritus multiplicationis panum solemnior apparet quam in nostro loco Luc. XXII, 17.

Majorem veritatis speciem prae se fert logii eschatologici, quod priorem Lucae calicem subsequitur, locus, prout deprehenditur apud duos alios synopticos, Marc. XIV. 25 = Matth. XXVI, 29. Eamdem ac Batiffol argumentationem plures protulerunt critici ut F. Spitta (1) et Joh. Hoffmann (2), diverso tamen fine : dum enim eximius Batiffol, connexionem qua in Marco et Mat-

(1) *O. c.*, p. 270 sq.

(2) *O. c.*, p. 33 sq. — O. Pfleiderer, *Das Urchristentum, seine Schriften und Lehren in geschichtlichen Zusammenhang beschrieben*, I, p. 680² sq. ex eodem textu eschatologico ulterius infert Jesum coenam celebrantem, mortem suam nec exspectasse nec praevidisse. Dicit enim : « Mit gutem Grunde hat man neuerdings auf die Tatsache aufmerksam gemacht dass... die Schilderung des letzten Mahles in den Synoptischen Evangelien keineswegs den Eindruck macht, als ob Gedanken an die nahe Tragödie oder das Wehe eines letzten Abschieds in den Herzen der Teilnehmer herrschten; im Gegenteil ein Ton freudigen Vertrauens und Hoffens auf die baldige siegreiche Entscheidung seiner Sache, drückt sich in den von allen Synoptikern berichteten worten Jesu aus. » At haec interpretatio erronea deprehenditur 1° ut contradicens toti historicae evangelicae, juxta quam Jesus mortem suam, humana etiam conjectura, praevidere debuit; 2° ut violentiam faciens textui invocato, in quo ponitur Jesum mortalem jam non bibiturum de genimine vitis, adeoque mox e mortalibus tollendum esse; 3° quia victoria exspectata non est terrestris, sed cum adventu regni gloriosi cohaerere dicitur.

thaeo idem logion colligatur cum Eucharistia, unice invocat ad probandum calicem v. 17 Lucae esse eucharisticum, illi ulterius ex eadem invictum contra dogma praesentiae realis colligi putant argumentum : si enim, sic illi, Christus consecratum vinum dicat generationem vitis, qua ratione idem potestne dici sanguis Christi? — At talia faciliora dictu quam probatu. De facto, res sic se habet : logion eschatologicum, de quo sermo movetur, bis recensetur apud Lucam, nempe post manducationem paschatis vel ejusdem partis v. 16, et post sumptionem calicis de cujus natura hic lis movetur : apud Marcum et Matthaeum contra, solum calicem eucharisticum subsequitur. Jamvero ut egregie observavit A. Resch (1), supposito Lucam v. 15-18 enarrare coenam paschalem, hoc repetitum logion connaturalem obtinet locum, nam *a)* duobus membris parallelis, manducatione nempe, puta agni paschalis et sumptione unius ex quatuor ad festum paschale legaliter praescriptis calicibus, exhibetur coena paschalis ut antetypus Eucharistiae; *b)* dein, verba Christi supponunt eumdem bibisse ex calice, post quem pronuntiata sunt : porro Dominum sumpsisse calicem eucharisticum, vix diceretur probabile; *c)* tertius evangelista certe apparet praeoccupatus de coena paschali, ut elucet ex v. 15 : « ἐπιθυμίᾳ ἐπεθύμησα τοῦτο τὸ πάσχα φαγεῖν μεθ'ὑμῶν πρὸ τοῦ με παθεῖν » : hinc obvium est, ipsum ceteris longius eamdem descripsisse; *d)* tandem ex Lucae v. 16 certum est famosum logion ad paschalem coenam se referre. Quapropter morali cum certitudine opinamur verba v. 18 a Domino prolata esse cum respectu ad festum judaicum, et proprio insidere loco in tertio evangelio. Marcus vero et Matthaeus, non referentes in concreto celebrationem coenae paschalis, cupientes tamen servare sententiam Christi eschatologicam, eamdem post Eucharistiae institutionem retulerint.

Ex prolata mox responsione, ulterius inferimus argumentum, quod membrorum parallelismo instruebatur, esse aequelabile. Nos enim aliam oeconomiam narrationi Lucanae XXII, 13-20

(1) *Aussercanonische Paralleltexte zu den Evangelien*, in *Texte et Untersuchungen*, Bd. X, p. 624 sq. et alibi saepius. Leipzig, 1895.

assignamus hanc : celebrationis paschatis exponuntur duo actus seu ritus v. 15-18, quibus adaequate correspondent duo actus institutionis Eucharistiae : de festo judaico hagiographus praecise protulit tanta quanta necessaria erant ad rationem typi, post quem antetypus describitur. Et hinc explicandum videtur, qua ratione Lucas nonnisi unius ex quatuor ad celebrationem paschatis legaliter praescriptis calicibus, mentionem faciat, quum tamen circa eamdem celebrationem appareat praeoccupatus : quum enim Eucharistia duplici actu absolvatur, consecratione nempe panis et consecratione vini, ideo symetriae servandae causa, et rationis typi et antetypi per symetriam clarius monstrandae gratia, ut primum celebrationis paschalis actum retinet manducationem solidi, puta agni paschalis et ut secundum actum, unum sumptum calicem exhibet. Dein autem describit Jesum reflectentem in suam mortem ejusque causas assignantem : causam immediatam, Judae traditionem, remotam, divinam a prophetis indictam dispositionem, indigitat. Haec certe optime inter se cohaerent, et intentionaliter hanc connexionem evangelista posuit, quum assertionem Christi circa traditorem, quae historice loquendo ante Eucharistiam locum habuit, ut patet ex Marco et Matthaeo, post eamdem, symetriae servandae causa, retulerit.

* * *

Inter textum itaque traditionalem seu alexandrinum et occidentalem nobis seligendum manet (1). Argumenta quibus occi-

(1) Memoriae tantum causa, verbum juvat addere circa opinionem Blass et Graefe, quibus visum est problema nostrum solvendum esse ex duplici editione tertii evangelii. F. Blass *(Evangelium secundum Lucam, sive Lucae ad Theophilum liber prior secundum formam quae videtur romana.* Lipsiae, 1897) hypothesim posuit Lucam, Caesaraeae Pauli socium, a. 54-56 evangelium suum composuisse in favorem gentili-christianorum, quam priorem editionem vocat tertii evangelii formam antiochenam sive α). Postea autem, nempe a. 57-59, novam curaverit hagiographus editionem, pro judaeo-christianis exaratam : eamdem vocat Blass tertii evangelii formam romanam sive β). Porro dum in priori editione Lucas simpliciter omisit exponere coenam eucharisticam,

dentalis seu brevioris textus electio justificetur, in compendium reduxit Bern. Weiss, dicens : Hodierna Lucae XXII, 19-20 lectio enata apparet ex introductione vocis διδόμενον, simul ac ex mutuatione facta ex I Cor. XI, 24 sq. phraseos τοῦτο ποιεῖτε εἰς τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν · καὶ τὸ ποτήριον ὡσαύτως μετὰ τὸ δειπνῆσαι λέγων · τοῦτο τὸ ποτήριον ἡ καινὴ διαθήκη ἐστιν ἐν τῷ αἵματί μου, necnon tandem ex introductione ex synopticis mutuati anacoluthici : τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυννόμενον. Quae eo magis tenenda sunt, quod absentia illorum versuum 19_b, 20 in codicibus Dit (WHi kl) esset undequaque inintelligibilis si supponantur authentici (1). » Hinc lectio alexandrina duplici premeretur difficultate textuali : 1° conflata esset ex multiplici mutuatione : Bern. Weiss et Westcott-Hort hanc variorum fontium permistionem volunt esse intentionalem; Haupt (2) autem in ea videt liberiorem copistae memorationem, Grass (3) tandem

quam jam sufficienter exposuerat Marcus, in posteriori v. 19_a addidit : hanc alteram repraesentat codex D. Hucusque Blass. Norunt sane lectores, celebrem philologum hallensem, similem circa Acta Apostolorum proposuisse sententiam : at duplicem hujus alterius operis Lucani editionem ordine inverso, ita ut forma β) antecedat formam α), posuit. Qua de re utiliter videre est H. Coppieters, *De historia textus Actorum Apostolorum*, Lovanii, 1902. — Sententiam Blass modificare aggressus est Graefe (*Studien und Kritiken*, p. 134 sq., 1898) : huic enim critico visum est priorem evangelii Lucae editionem factam esse in forma romana, quam repraesentat codex D, et in secunda seu antiochena editione hagiographum addidisse v. 19-20. — At talis opinio, utrolibet tenore spectetur, prorsus arbitraria est. Nollem quidem cum Berning (*O. c.*, p. 36) nomine dogmatis inspirationis eamdem inacceptabilem proclamare : inspiratio enim humanum laborem nullatenus impedit. At critica praejudicia prolata opinio incurrit maxima : 1° duplicis editionis tertii evangelii demonstratio desideratur omnino. Cf[r] A. Resch (*Aussercanonische Paralleltexte zu Lucas*, in *Texte und Unters*, X, 3, p. 846, Leipzig, 1895). 2° Fr. Barth, *Die Hauptprobleme des Lebens Jesu* (Gütersloh), qui in priori hujusce operis editione (1899, p. 199) consenserat cum Blass, in altera (1903, p. 205) ab eo discessit.

(1) *Textkritik der vier Evangelien*, in *Texte u. Untersuchungen*. Neue Folge, Bd. IV, ht. 2, p. 181. Leipzig, 1899.

(2) *O. c.*, p. 8 sp.

(3) *Das Verhalten zu Jesus nach den Forderungen der Herrenworte bei den Synoptikern*, p. 111. Leipzig, 1895.

eamdem ex orali traditione exortam statuit; 2° inexplicabile fierit problema textuale, in hypothesi quod longior textus habeatur ut authenticus.

At miramur egregios exegetas ut B. Weiss, Haupt etc. tantum pondus in talibus considerationibus reponere. Lucam enim, Pauli asseclam, sui magistri mentem saepe saepius secutum esse, nemo sane infitiabitur. Placitum quidem est apud criticos vulgatum, cui et P. Batiffol assentitur, Lucam nec adhibuisse nec cognovisse epistolas paulinas in conficiendis suis Apostolorum Actis adeoque nec in enarrando evangelio. At tali assertione data et nullatenus concessa, monemus, litterariam in pericope 19^b, 20 respectu I Cor. XI dependentiam non prostare, ut ipse P. Batiffol fatetur. Hinc ex reali v. 19^b, 20 cum traditione paulina similitudine aut cognatione, nequit contra eorumdem authentiam desumi indicium quodvis. Et pari modo, tertium evangelistam ex Marco (vel ex fonte simillimo) desumpsisse additionem τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυννόμενον libenter fatemur, observantes tamen ipsum eamdem juxta symetriae exigentias cum formula consecrationis panis coaequasse, convertens πολλῶν in ὑμῶν. Porro in mechanica, quam hic supponunt, interpolatione, minima haec mutatio vix intelligi potest.

Insuper offensiva jam methodo dicimus, lectionem occidentalem respectu aliorum Eucharistiae fontium esse inauditam : ex ea enim, si genuina supponatur, sequeretur Lucam putasse consecrationem calicis praecessisse consecrationem panis, aut nonnisi de hac posteriori mentionem fecisse. In quo invictum contra occidentalis lectionis authentiam reponimus argumentum : posita quippe authentia v. 19^a, quam concedunt adversarii, elucet evangelistam voluisse enarrare coenae eucharisticae institutionem : at juxta lectionem occidentalem, eamdem penitus mutilaret, quin eadem mutilatio sive ignorantiae sive ulli determinato scopo tribui possit (1).

(1) In eamdem conclusionem devenire oportet illum, qui pertractat problema juxta totam suam amplitudinem, id est cum respectu ad alias variantes lectiones quibus caracterizatur traditio textualis trium ultimorum Lucae capitum juxta codicem Bezae et varia Italae manuscripta,

Tandem facili negotio evertitur adversariorum assertio, explicari non posse qua ratione textus breviores ex longiori ortum

et quorum catalogum struxit Fr. Schultzen, *O. c.*, p. 8 sq. Sub triplici classe facile locantur. Sub priori complectimur *additiones* codicis D, sive solius : XXII, 28 καὶ ὑμεῖς ηὐξήθητε ἐν τῇ διακονίᾳ μου ὡς ὁ διακονῶν, οἱ διαμεμενηκότες; XXIII, 42 στραφεὶς πρὸς τὸν Κύριον (sic et Acta Pilati), sive cum codice c : XXIII, 12 ὄντες ἐν ἀηδίᾳ, XXIII, 53 καὶ θέντος αὐτοῦ ἐπέθηκεν τῷ μνημείῳ λεῖθον ὃν μόγις εἴκοσι ἐκύλιον; sive etiam illae quae propriae sunt manuscriptis quibusdam Italae : XXII, 27^a : ac eff^2 ilq addunt : in quibusdam gentibus qui recumbit, in vobis autem non sic, sed qui ministrat; XXII, 32 a b c e ff^2 i l q addunt : et rogate ne intretis in tentationem; XXIII, 2 b c e ff^2 i l q addunt : et solventem legem nostram et prophetas. Sub secunda leguntur *modificationes* codicis D cui quandoque alia accedunt documenta : sic in solo D mutantur XXII, 27; XXIII, 42, 45^b, 47, 48, 53; XXIV, 27, 37, 50; in D et versione syriaca curetoniana XXII, 58, XXIII, 1; in D et i t XXIII, 6. Sub tertia tandem classe locantur *omissiones* eorumdem Codicum : XXII, 19^b, 20 omitt. D a ff^2 i l b e (curetoniana); XXII, 62 καὶ ἐξελθὼν ἔξω ἔκλαυσεν πικρῶς = Matth. XXVI, 75 omitt. a b e ff^2 i l; XXIII, 54 καὶ σάββατον ἐπέφωσκεν omitt. D; XXIII, 55 καὶ ὡς ἐτέθη τὸ σῶμα αὐτοῦ omitt. D; XXIII, 56 κατὰ τὴν ἐντολήν omitt. D; XXIV, 3 τοῦ κυρίου Ἰησοῦ omitt. D abc eff^2 l; XXIV, 6 οὐκ ἔστιν ὧδε ἀλλὰ ἠγέρθη omitt. D a b eff^{2}l; XXIV, 36 καὶ λέγει αὐτοῖς · εἰρήνη ὑμῖν omitt. D ab eff^{2}l; XXIV, 51 καὶ ἀνεφέρετο εἰς τὸν οὐρανόν omitt. ℵ D ab eff^{2}l. — Jamvero variantium lectionum serie sic se habente, tenemus contra Schultzen, *O. c.*, p. 15 sq. ex sola critica textuali ultimorum Lucae capitum, probabiliorem esse authentiam textus alexandrini 19^b-20. Imprimis enim in dubium vocari nequit *additiones* et *mutationes* codicis Bezae et quorumdam codicum Italae esse spurias : ex singularum inspectione res patet et de cetero conceditur a Schultzen. Unde, in pluribus locis D etc. exhibent nobis textum indubie mutilatum. Jamvero fieri potest, hunc traditionis manuscriptialis statum resultare ex properatione aut negligentia, quibuscum fons D etc. transcriptus fuerit : porro, in hoc casu suspectae evadunt etiam *omissiones* horum documentorum. Contendit quidem Schultzen cum aliis, plures codicis D et codicum Italae omissiones esse legitimas, adeoque saltem quoad omissiones, *ad quas pertinent 19^b-20* codicem D etc. favorabilius se habere quam ℵ B etc. At hac in re bene distinguamus oportet omissiones quae propriae sunt D, manuscriptis Italae et curetonianae — quae documenta sicut in pluribus aliis, ita et in omissione v. 19^b-20 concordant — et illas quae etiam in aliis documentis factae reperiuntur. Ad hanc posteriorem classem pertinet XXIII, 34 πάτερ ἄφες αὐτοῖς, quae verba desiderantur in ℵ^a B D. Hinc si jure dicat

trahere potuerint. Solutione Holtzheuer (1), censentis textum occidentalem ex physico accidente esse enatum, hanc putamus meliorem : copista aliquis crediderit v. 17 et 18 enarrari institutionem coenae eucharisticae; hocque ideo, tum quia v. 15 solemniori formula introducebantur sequentia, tum quia v. 17 sponte formulam liturgicam Eucharistiae in mentem revocabat, tum tandem quia λάβετε ejusdem versiculi correspondere videbatur Marc. XIV, 22 et Matth. XXVI, 26. Hinc omiserit v. 20, et breviaverit v. 19 quantum necesse erat ad inducendum parallelismum inter consecrationis panis et vini formulas. Inde D a ff² i l. Alius vero copista ut hanc formulam praxi communitatis necnon aliorum fontium traditioni accommodaret, reposuerit v. 17 et 18 post 19ª : quam inversionem exhibent b et e. Curetoniana tandem, mediam quaesierit formulam inter textum alexandrinum et occidentalem. En schematice originem variarum lectionum expressam :

Schultzen hoc logion a Luca non esse conscriptum sed esse agraphum quod prius ut nota marginalis ad hunc locum conscriptum, postea ipsum textum ingressum fuerit, non inde sequeretur specialem valorem competere codici D ubi aliis codicibus majusculis opponitur. Insuper authentia hujusce logii est moraliter certa : α) traditur apud ℵ* ACLΓΔΠ c e ff²l, curetonianam, Irenaeum, Origenem etc. β) A. Harnack, *Sitzungsberichte der Kgl. Preuss. Acad. der Wissensch.* XI (1901), in favorem authentiae sequentem protulit argumentationem : si, ut dicunt adversarii, haec Christi verba enata fuerint ex necessitate sive desiderio in ore Christi reponendi orationem pro inimicis, mirationem deberet movere, nullum textus Matth. sive Marci codicem eamdem tradere, quum tamen ipsorum contextus contextui Lucae ferme sit identicus. Dein oratio Stephani, Act. Apost. VII, 60 κύριε μὴ στήσῃς αὐτοῖς ταύτην τὴν ἁμαρτίαν probat Lucam certe nostrum cognovisse textum, quumque ipse solus eum tradat, de ejusdem authentia vix dubium superest. — Ad ipsas omissiones D etc. proprias quod spectat, dicimus illegitimas esse omissiones XXII, 62 καὶ ἐξελθὼν ἔξω ἔκλαυσεν πικρῶς; XXIV, 6ª οὐκ ἔστιν ὧδε ἀλλὰ ἠγέρθη; XXIV, 9 ἀπὸ τοῦ μνημείου. De solis XXIV, 9 ὁδὲ Πέτρος ἀναστὰς κ. τ. λ., et XXIV, 51 καὶ ἀνεφέρετο εἰς τὸν οὐρανόν serium posset moveri dubium, sed etiam si in his melius se habeat D, remanet plures ipsius omissiones perperam esse factas. et integram fere ipsius traditionem circa finem Lucae esse retractatam. Quapropter, ex hoc etiam capite, textus alexandrinus prae occidentali se commendat.

(1) *Das Abendmahl und die neuere Kritik,* p. 27, Berlin, 1896.

Textus longior sive alexandrinus ℵ B etc.

Textus occidentalis | Versio syriaca sinaitica

D a ff^2 il

b c Curetoniana

Tandem sub respectu testimoniorum, longior textus breviori longe praecellit. Pro ipso enim loquuntur omnes codices majusculi, excepto D; plures minusculi, versiones omnes, cum hac sola restrictione, in Syria utrumque textum fuisse cognitum; in Occidente Marcionem, Tertullianum imo et Justinum eumdem cognovisse, probabilissimum est.

Quapropter conclusionis instar sequentes statuimus propositiones : Genuina Lucae circa coenam eucharisticam narratio, complectitur v. 15-20; priores versus 15-18 spectant celebrationem paschalem, et in mente evangelistae typum describunt sequentis in v. 19-20 institutionis Eucharistiae. Si de fontibus Lucanae narrationis inquiramus, dicendum v. 15-18 desumptos esse ex evangelio judaeo-christiano nunc deperdito, versus autem proprie eucharisticos 19-20 repraesentare Pauli traditionem oralem. Praeter hos fontes tamen, evangelista cognovit etiam Marcum aut fontem similem, ex quo liberiori methodo verba τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυννόμενον mutuatus est. Nulla itaque ratione stabilitur recentiorum opinio, praeter traditiones petrinam et paulinam, admittendam esse circa ipsam Eucharistiam, traditionem specifice Lucanam.

C. De mutua traditionum petrinae et paulinae relatione.

In superioribus quantum satis confecimus, fontes nostros juxta externam suam speciem, merito in duplicem dividi categoriam, petrinam nimirum et paulinam. Manet nunc ut breviter utriusque traditionis originem, adeoque et generalem valorem historicum, inquiramus. Quae nostra inquisitio primarie huc tendit, ut recentiorum exegetarum, contendentium quatuor intracanonicos Eucharistiae fontes a traditione paulina pendere, sen-

tentiam dijudicemus. Quae sententia duplici sub tenore defenditur. 1° P. Gardner (1), ratus Paulum in visione Christum vidisse ad mensam cum duodecim discumbentem et pronuntiantem haec verba : hoc est corpus meum, hic est calix sanguinis mei — quorum conceptionem et sensum apostolus gentium ex mysteriis Eleusiniis hauserit —, et dein, postquam impressiones has imaginarias pro realitatibus sumpserit, institutionem eucharisticam Corinthi fundasse, ulterius contendit synopticorum narrationem ex I Cor. XI esse desumptam, adeoque a Pauli doctrina scripta, litterarium in modum pendere. Citatus itaque auctor simul litterariam cognationem inter quatuor nostros hagiographos statuit et cognitionem Pauli tum ex mysteriis Eleusinis tum ex imaginationis foecunditate mutuatam contendit.

2° Joh. Weiss (2), cui, hac in re, multum favet A. Loisy (3), hucusque non procedit. Tuetur tamen sententiam, hodiernum synopticorum tenorem influxum Pauli subiisse. Ob intrinsecum rei momentum, celebris Marburgensis professoris placita audire juvat. Inquisitio, sic ille, circa mutuam qua fontes inter se colligantur relationem, textui codicis Cantabrigiensis seu Bezae, tamquam suo fundamento, innitatur oportet. Codicis autem tenor sic sonat : Ἐπιθυμίᾳ ἐπεθύμησα τοῦτο τὸ πάσχα φαγεῖν μεθ'ὑμῶν πρὸ τοῦ με παθεῖν · λέγω γὰρ ὑμῖν ὅτι οὐκέτι οὐ μὴ φάγω αὐτὸ ἕως ὅτου πληρωθῇ ἐν τῇ βασιλείᾳ τοῦ Θεοῦ · καὶ δεξάμενος ποτήριον εὐχαριστήσας εἶπεν · λάβετε τοῦτο καὶ διαμερίσατε εἰς ἑαυτούς · λέγω γὰρ ὑμῖν ὅτι οὐ μὴ πίω ἀπὸ τοῦ νῦν ἀπὸ τοῦ γενήματος τῆς ἀμπέλου ἕως ὅτου ἡ βασιλεία τοῦ Θεοῦ ἔλθῃ. Καὶ λαβὼν ἄρτον εὐχαριστήσας ἔκλασεν καὶ ἔδωκεν αὐτοῖς λέγων · τοῦτό ἐστιν τὸ σῶμά μου · πλὴν ἰδοὺ ἡ χεὶρ τοῦ παραδιδόντος με μετ' ἐμοῦ ἐπὶ τῆς τραπέζης · ὅτι ὁ υἱὸς μὲν τοῦ

(1) *O. c.*, p. 9 sq.


(2) *Das älteste Evangelium. — Eine Beitrag zum Verständnis des Marcus-Evangeliums und der ältesten evangelischen Ueberlieferung*, p. 287 sq. Göttingen, 1903.

(3) *L'Evangile et l'Eglise*, p. 72. Paris, 1902; id. *Revue d'histoire et de littérature religieuses*, VII (1902), p. 176.

ἀνθρώπου κατὰ τὸ ὡρισμένον πορεύεται · πλὴν οὐαὶ τῷ ἀνθρώπῳ ἐκείνῳ, δι' οὗ παραδίδοται. — Porro oculos incurrit, citata logia in duplicem dispesci categoriam, quarum prior praesentatione calicis, altera panis fractione caracterizatur. In priori separationis idea, spe regni gloriosi moderata, bis expressa reperitur. Alteri praeoccupatio Domini circa suam mortem propria est; quae symbolice exprimitur : sicut panis ille, ita corpus meum frangetur. Quem exitum dum resignatus Jesus exspectat, doloroso cum sensu traditorem secum discumbere deprehendit. Jam autem, in tali sibi invicem egregie correspondentium idearum serie, quaevis valoris soteriologici mortis Domini indicatio, perperam quaereretur. At quod in ipsa coena desideratur, reperitur in coenae contextu qui incipit Ἐγένετο δὲ καὶ φιλονεικία κ. τ. λ... Christum enim sibi fuisse conscium pro suis se laborare suisque se bona procurare, per subsequens colloquium docetur.

Quibus positis, quum lectionem Lucae occidentalem non esse compendiosam Marci retractationem, statim eluceat, narrationem Lucanam sive ad Logia sive saltem ad fontem a Marco sensibiliter diversum referre superest. Quid enim! in hypothesi $\frac{\text{Marc.}}{\text{Luc.}}$, dicendum esset tertium evangelistam coenam paschalem multo copiosius ac fons suus, descripsisse, relationem quae corpus et sanguinem Christi inter et panem et vinum intercedit, semovisse, ipsumque, etsi paulinistam, valoris soteriologici sacrificio crucis inhaerentis indicationem neglexisse. Quae quum admitti nequeant, Lucam praeter Marcum, aut Logia aut fontem a Marco notabiliter diversum adhibuisse, concludamus oportet. — Ab altera vero parte, enumeratis divergentiis non obstantibus, Marcus apparet cum Luca cognatus; quae cognatio ut explicetur, duplex possibilis hypothesis occurrit : vel forma Marciana traditionis quam et Lucas cognovit est retractatio, vel uterque evangelista fontem scriptum communem adhibuere. Porro, si prior hypothesis, quae probabilior videtur, admittatur et simul cum Wrede expressio τῆς διαθήκης tamquam mechanica additio, ex Exod. XXIV, 8 desumpta et quae egregium panis et vini parallelismum deturbat, ab ipso Christo semoveatur, solidum paulini in Marcum influxus argumentum

suppeditabitur : Paulus enim suam soteriologiam in coenae narrationem I Cor. XI introduxit. Quum autem absonum sit propugnare Marcum ab ipsa apostoli gentium narratione scripta I Cor. XI dependere, traditionem paulinam oralem, — quam in mundo ethnico-christiano circa annum 60 vulgatam fuisse et doctrinam soteriologicam in ore Christi coenantis reposuisse novimus — tum a Marco, tum a Paulo I Cor. XI redditam esse, obvia conclusione infertur. Et doctam suam disquisitionem, Joh. Weiss schematice sic exhibet (1) :



*
* *

Expositarum opinionum gravitas statim oculos incurrit : juxta utramque Paulus — quem libenter theologum dicunt, quo insinuent ex ipsius speculationibus momentosas additiones et mutationes doctrinales in primitivum christianismum introductas esse — omnium intracanonicorum, quae circa coenae eucharisticae habemus, testimoniorum, fontem constitueret, et ab ipso doctrina soteriologica in ore Christi reposita dicenda esset. At dum P. Gardner litterariam in narrationibus synopticorum respectu I Cor. XI dependentiam prostare contendit, Joh. Weiss cognationem tantum realem respectu ad oralem Pauli doctrinam statuit et simul cum A. Loisy duo extraca-

(1) *O. c.*, p. 298.

nonica primitivae traditionis, influxu paulino non adulteratae, assignat testimonia, scilicet textum Lucae breviorem et orationes eucharisticas Didache.

Quae dijudicaturi, per prius ipsum Paulum de suae circa Eucharistiam cognitionis fonte audiemus, dein cognationis, qua inter se hagiographi colligantur, naturam inquiremus.

* * *

Gentium apostolus suam circa Eucharistiam doctrinam, sequenti introducit formula, I Cor. XI, 23 : ἐγὼ γὰρ παρέλαβον ἀπὸ τοῦ Κυρίου ὃ καὶ παρέδωκα ὑμῖν κ. τ. λ., a cujus interpretatione dependet solutio quaestionis acceperitne ipse suam cognitionem directe et immediate a Christo exaltato per revelationem, an e contra, habueritne eamdem a Christo mediante traditione apostolica.

Directam et immediatam acceptationem defendunt catholici ferme omnes : s. Thomas, Cajetanus, Estius, Cornelius a Lapide, Cornely (1), Berning (2), quibuscum faciunt acatholici non pauci ut Osiander, De Wette, Olshausen, Godet, B. Weiss (3), Gardner (4) et Goetz (5). Indirectam contra asseverant acatholici plures ut Neander (6), Nösgen, Schmiedel, Heinrici (7), Haupt (8), Schultzen (9), Schaefer (10), Zahn (11) et Feine (12), quibus

(1) *Commentarius in I Corinthios*, p. 337. Parisiis, 1890.
(2) *O. c.*, p. 53 sq. Apud eumdem auctorem, antiquiorem litteraturam reperies.
(3) *Lehrbuch der biblischen Theologie des Neuen Testaments*, p. 332[7]. Stuttgart et Berlin, 1903.
(4) *O. c.*, p. 4 sq.
(5) *O. c.*, p. 114 sq.
(6) *Auslegung der beiden Briefe an die Corinther*, a. h. l. Berlin, 1859.
(7) *Der erste Brief an die Corinther*, p. 342 sq. Göttingen, 1896.
(8) *O. c.*, p. 11.
(9) *O. c.*, p. 20 sq.
(10) *O. c.*, p. 202 sq.
(11) *Zeitschrift für kirchliche Wissen und Leben*, p. 451 sq. 1889.
(12) *Jesus-Christus und Paulus*, p. 228 sq. Leipzig, 1902.

pauci accesserunt catholici, ut Ad. Maier (1), Hehn (2), P. Batiffol (3). Singularem tandem sententiam defendendam assumpsit A. Resch (4) hanc, allata verba esse simpliciter formulam introductoriam logii Christi, ex primitivo evangelio hebraïco desumpti.

Jamvero semota ut undequaque gratuita sententia Resch, inter duas priores secundam se magis commendare tuemur, nixi sequentibus rationibus : 1° apud grammaticos, graecitatem Novi Testamenti edoctos, hoc inter praepositionem ἀπό et παρά intercedit discrimen, quod dum prior mediatam, posterior immediatam originem indigitet : sic Marc. VIII, 11. Et certe desideratur in litteratura paulina usus expressionis παραλαμβάνειν in sensu acceptationis ex revelatione. Unicus qui huic assertioni contradicere videtur locus, Gal. I, 12 οὐδὲ γὰρ ἐγὼ παρὰ ἀνθρώπου παρέλαβον αὐτὸ οὔτε ἐδιδάχθην, ἀλλὰ δι ἀποκαλύψεως Ἰησοῦ Χριστοῦ, in secundo suo membro constructionem habet dependentem a priori, in quo παραλαμβάνειν revera de acceptatione ex traditione humana sumitur. Ob adductum tamen modum loquendi apostoli, prolatam considerationem esse apodicticam affirmare jam non auderem. Crescit vero ejusdem vis, si consideretur parallelismus inter I Cor. XV, 3 et XI, 23 vigens : in utroque quippe loco, Paulus cognitionis suae sicut et Corinthiorum traditionem esse fontem, affirmare videtur : in priori loco, res est manifesta; dicendo : παρέδωκα γὰρ ὑμῖν ἐν πρώτοις ὃ καὶ παρέλαβον, aequiparat se christianis Corinthi, quantum ad modum quo facta vitae Christi edoctus est; in altero autem loco, eamdem aequiparationem indigitare videtur additio vocis καί. Fontem quidem doctrinae suae circa Eucharistiam praemonstrat expressione παρέλαβον ἀπὸ τοῦ Κυρίου, dum ad indicandam cognitionis suae circa vitam Domini originem tantum

(1) *Commentar über den ersten Brief Pauli an die Corinther*, p. 251 sq. Freiburg, 1857.

(2) *O. c.*, p. 54 sq.

(3) *L'Eucharistie dans le Nouveau Testament*, in *Bulletin de littérature ecclésiastique* publié par l'Institut catholique de Toulouse, p. 131. Paris, 1903.

(4) *Agrapha*, in *Texte und Untersuch.* V, ht. 4, p. 178. Leipzig, 1889.

vocem παρέλαβον adhibeat. Verum, hujusce differentiae optimo jure ratio assignari potest : recensendo enim varia facta vitae Christi, haud poterat dicere Paulus, horum cognitionem a Domino ipso derivari : quapropter notat se ea accepisse a traditione, id est ab apostolis et ab aliis quibuscum Dominus conversatus est christianis. Hic vero gressum facit, et doctrinam suam eucharisticam ad Dominum usque ascendere, propterea quod eamdem ipsi tradiderint testes fide digni, affirmare intendit. Ex vocabulario itaque apud Paulum solemni, probabilior apparet sententia, quae ejusdem circa Eucharistiam doctrinae fontem immediatum traditionem statuit.

2° Electae a nobis opinioni, robur ulterius communicatur ex contexta oratione : affirmat enim apostolus eamdem esse doctrinam quam jam antea tradiderat et quam denuo tradit. Quo posito — de quo conveniunt ipsi adversarii — petimus quidnam ex iis quae circa Eucharistiam docet, per directam Christi revelationem sive apocalypsim, ipsi fuerit traditum. An ipsa institutionis eucharisticae verba? Ita quidem opinati sunt Grimm (1), Lichtenstein (2) et pauci alii. Et logice quidem, consequenter ad interpretationem suam formulae : παρέλαβον ἀπὸ τοῦ Κυρίου; verba enim institutionis hic ex professo traduntur : quapropter si Paulus se referat ad apocalypsim, quam a Domino acceperit, eadem verba ipsi directe a Christo fuisse tradita, dicenda sunt. At inconveniens hujusce opinionis est quod verba prout jacent, comparata ad loca parallela traditionis petrinae, his minus fidelia reperiantur, ut omnes fatentur. Qui vero solam significationem religiosam et institutionalem coenae eucharisticae per apocalypsim apostolo revelatam opinantur, ut Schaefer (3), oblivioni dant formulam introductoriam ἐγὼ γὰρ παρέλαβον ἀπὸ τοῦ Κυρίου spectare etiam imo praecipue verba a Jesu prolata, et introducunt in textum distinctionem inter verba eorumque

(1) *Das Leben Jesu, IV Geschichte des Leidens Jesu.* Mainz, 1894.

(2) *Des Apostels Paulus Ueberlieferung von der Einsetzung des hl. Abendmahls nach ihrem litterarischen und biblisch-theologischen Verhältnis zu den synoptischen Berichten,* p. 4 sq. Berlin, 1899.

(3) *O. c.*, p. 205.

sensum, in se satis miram et certe gratuitam et a contextu prorsus alienam. Dixeris forsan cum Berning (1) facta historica simul cum sua significatione a Domino gentium apostolo esse aperta, aut effinxeris tibi cum Gardner (2) Paulo oblatam esse visionem, discumbentis ad mensam cum apostolis Christi et coenam eucharisticam instituentis. Ad haec notatum velim, de hisce textum minime loqui, adeoque has sententias ob necessitatem causae adinventas, esse ad minus gratuitas; nec satis quadrare cum constructione loci, qua supponitur omnia quae sequuntur formulam παρέλαβον κ. τ. λ. esse objectum acceptationis. Ceterum, ut bene notat Batiffol (3), non apparet quo tenderet talis revelatio : prorsus inutilis videtur consideranti institutionem Eucharistiae per testes oculares enarratam et attestatam, communis fuisse objectum catecheseos, nisi cum Andersen, Paulum contra hanc ipsam catechesim pugnare, quis opinetur. Porro, illegitimam esse contendimus interpretationem quamlibet, quae I Cor. XI, 23 sq. oppositionem quamlibet tribuat praeter illam quae spectat abusus (4) quibus Corinthios reos Paulus declarat. Asserit enim apostolus, se non tradidisse doctrinam proprio marte adinventam, quamque accipere aut respuere penes uniuscujusque arbitrium sit, sed quae ipsum

(1) *O. c.*, p. 63.

(2) Cum Gardner facit GOETZ, *o. c.*, p. 115 sq.

(3) *L'Eucharistie dans le Nouveau Testament*, in *Bulletin de littérature ecclésiastique* publié par l'Institut catholique de Toulouse, p. 131 sq. Paris, 1903.

(4) Plurimum hisce quinque ultimis annis disputatum est de natura abusuum quos tollere aggreditur Paulus, adeoque de natura conventuum christianorum quorum decenti celebrationi plures praescribuntur I Cor. XI regulae. Quum enim P. BATIFFOL contra unanimem ferme exegetarum sententiam in doctis suis *Etudes d'histoire et de théologie positive*, p. 289[3]. Paris, 1902, contendisset apostolum I Cor. XI, 20-33 non agere de agapis sed unice de coena eucharistica, F. X. FUNK (*L'Agape*, in *Revue d'histoire ecclésiastique*, IV, p. 1 sq. Louvain, 1903), et P. LECLERCQ in *Dictionnaire d'archéologie chrétienne et de liturgie*, fasc. 3, col. 784 sq. Paris, 1903, interpretationem traditionalem vindicandam susceperunt. Contra quos, P. LADEUZE (*Pas d'agape dans la première aux Corinthiens. Revue Biblique*, p. 78 sq. Paris, 1904) sententiam Batiffol, novis censiderationibus solide firmavit.

Christum habet auctorem, ab eodem in supremo suae vitae momento, nimirum in qua nocte tradebatur, apostolis communicatam. Cum hac vero doctrina oppositionem dicit praxis eucharistica Corinthiorum, qui ideo carpuntur quod jam in prima sua evangelizatione, genuinam Domini mentem edocti fuerint. Emphasis itaque quam infert vox ἐγώ, inde non est explicanda, quod Paulus suam auctoritatem et doctrinam opponat cuivis alii doctrinae eucharisticae, puta synopseos ut somniatur Andersen (1), sed in eo fundatur, quod coenae eucharisticae praxis, qualis a Paulo Corinthi instituta fuit, quamque non illa qua par erat reverentia servarunt Corinthii, cum ipsius Christi dispositione et exemplo cohaereat : quae enim tradidit apostolus, ex traditione historica mutuata sunt. Informationes itaque Pauli circa Eucharistiam, historicam traditionem ut fontem supponunt.

*
* *

Ex solutione quam firmavimus, immediate consequitur, synopticorum circa Eucharistiam relationes, si demonstrentur litterarium in modum pendere a Paulo, valorem habere historicum. Ad ipsum litterarium problema jam accedimus, visuri quonam jure I Cor. XI, 23 ut fons sive litterarius sive saltem realis a Gardner, Joh. Weiss, A. Loisy et aliis assignetur. Et ut statim moneamus, argumenta duplicis ab invicem immediate independentis traditionis, petrinae scilicet et paulinae, apodictica vix jure quis exspectaret. In negotio enim tanti momenti, obvium est primitivam communitatem fideliter servasse ritus et verba Christi, adeo ut notabiles inter duas etiam independentes traditiones vix aut ne vix quidem intercedere possint. Quapropter, ex nostrorum fontium litteraria indole, potius quam reali ab invicem discrepantia, procedere oportebit. Porro haec methodus, etsi sufficientissima appareat ut removeatur et evincatur sententia Gardner — contra quem de facili stabilietur Marcum et Matthaeum, quae traditionis petrinae documenta constituunt, a narratione Pauli scripta non pendere — non ita immediate

(1) Vide supra, p. 125 sq.

idonea videtur ad repellendam opinionem Joh. Weiss et A. Loisy, quae non ponit litterariam sed tantum realem Marci et Matthaei respectu doctrinae sive catecheseos oralis Pauli dependentiam. Quae tamen duplicem fontem litterarium differentiae indigitant, diminuto sensu contra hanc posteriorem opinionem faciunt et duplicem traditionem praemonstrant, quia Paulum duplicem formam eucharisticam statuisse immerito diceretur, ut mox conficietur.

Contra solutionem itaque Gardner alte loquuntur differentiae quae inter I Cor. XI, 23 sq. et relationem Marci et Matthaei deprehenduntur. Omissis etiam divergentiis quae externam quasi coenae eucharisticae speciem spectant (1), ut praesentia

(1) Divergentiae in medium adductae, substantialem fontium concordantiam nec delent nec minuunt. Praeprimis nimium pondus non est reponendum in usu vocum εὐλογεῖν et εὐχαριστεῖν : important sane ex essentiali sua notione, conceptum paulo diversum, benedictionis nimirum et gratiarum actionis : at in Novo Testamento, I Cor. XIV, 16, Matth. XV, 36 = Marc. VIII, 8, Luc. IX, 16, Jo. VI, 11 indiscriminatim adhibentur; et hic etiam apud Matth. XXVI, 26 et 27 ut aequivalentes reperiuntur. — Paulo majorem difficultatem facit discrepantia inter expressionem ἐσθιόντων δὲ αὐτῶν et μετὰ τὸ δειπνῆσαι vigens. Lightfoot, Haneberg, B. Schaefer censent Christum, durante coena paschali, panem consecrasse, et tantum post completum ceremoniale judaicum vinum consecrasse. Quapropter cum historica acribeia, Marcus et Matth. introduxerint primum coenae eucharisticae actum formula ἐσθιόντων δὲ αὐτῶν, et Paulus et Lucas, pari exactitudine referentes secundum dixerint μετὰ τὸ δειπνῆσαι. Schanz vero et Godet, patroni sunt sententiae quae contendit longius temporis spatium intercessisse inter panis et vini consecrationem, ita tamen ut prior celebrationem paschatis immediate sit subsecuta. Hinc merito diceret traditio petrina, verba consecrationis super panem prolata esse, dum manducarent; et simul jure diceret traditio paulina consecrationem vini post coenam contigisse (μετὰ τὸ δειπνῆσαι). Aliis tandem exegetis visum est expressiones, de quarum conciliatione hic inquirimus, ut chronologicas determinationes non esse urgendas et unice generalem fundare sensum hunc, celebrationem Eucharistiae manducationem paschatis esse subsecutam. Quod diversum in modum justificant. Ponit enim Langen, Dominum coenam paschalem, adhibitis quatuor calicibus consuetis, absolvisse et dein panem et vinum, ad coenam paschalem non spectantes, in corpus et sanguinem suum convertisse. Bickell vero et Berning opinantur Jesum

vocis εὐλογεῖν loco εὐχαριστεῖν, animadversio traditioni petrinae propria, omnes discipulos ex calice eucharistico bibisse, quod

post sumptos tres priores calices paschales, panem consecrasse et quartum ceremonialis judaici calicem in suum convertisse sanguinem : Paulus noluerit omittere relationem qua coena eucharistica religatur cum paschate; at impeditus eamdem referre ad primum actum eucharisticum, ob indicationem aliam traditam « in qua nocte tradebatur » eamdem ad secundum actum retulerit. — Est et tertia differentia, de qua supra jam verbulum diximus et quae spectat locum quem in nostris fontibus obtinet logion Christi circa regnum Dei : Amen dico vobis quia jam non bibam de hoc genimine vitis etc. Commune est tribus synopticis; apud Paulum vero desideratur. At differentia in eo est quod Marcus et Matth. illud post Eucharistiae institutionem referant, Lucas e contra in relationem cum celebratione paschalis coenae ipsum ponat. Hinc, nisi ex ratione litteraria, apparens utriusque traditionis antagonismus solvi queat, pronum erit inferre realem hic prostare inter fontes differentiam. Porro censent A. Jülicher, F. Spitta, Joh. Hoffmann et alii discrepantiam esse simpliciter agnoscendam, et historicum hac in re valorem traditioni Marcino-Matthaeanae competere. Quapropter Christus citata verba protulerit post calicis consecrationem, ex quo ipse haustum sumpserat et quem vinum continere declarat. Ubi vero sub influxu religionum mysticarum, puta mysteriorum Mythrae vel ex supernaturalismo cum speculationibus Pauli cohaerente, sacramentalis praesentiae conceptum adinvenerant, facile de amovenda primitiva et genuina coenae significatione cogitarunt : quapropter Lucas, ordinem historicum deturbans, logion nostrum in coenam paschalem intruserit. Ex priori hac assertione, ulterius inferunt Spitta et Joh. Hoffmann, Christum in coena mentem infixam habuisse in regnum mox venturum, adeoque ex erratico logio, quod ut ipsi dicunt, in sacramentali aedificio non quadrat, egregium in favorem interpretationis eschatologicae colligi argumentum.

Quaestionis solutio intime cohaeret cum duabus aliis, utrum nempe 1° Christus pascha celebraverit et 2° quaenam sit narrationis Lucanae oeconomia et indoles. Posito enim institutionem Eucharistiae subsecutam esse celebrationem paschatis, ab una parte, et pericopen XXII, 15-20 esse authenticam et utriusque coenae referre historiam, ab altera, jam nulla realis difficultas superest. Hoc enim in casu — qui realiter obtinet — apparebit Lucam utpote modo magis completo ultimae coenae facta referentem, logion eschatologicum in debitum ipsi locum reposuisse, Marcum autem et Matthaeum idem illud post Eucharistiae celebrationem inseruisse, propterea quod ejusdem relationi, quam facere cupiebant, nullus alius supererat locus ipsis coenam paschalem non

simpliciter testatur Marcus, Matthaeus autem invitationi Domini tribuit; omissa etiam differentia quae inter utramque traditionem intercedit quantum ad indicationem momenti institutionis Eucharistiae — cujus primum actum Marcus XIV, 22 et Matth. XXVI, 26 introducunt formula ἐσθιόντων δὲ αὐτῶν, Paulus vero I Cor. XI, 25 μετὰ τὸ δειπνῆσαι, quae ad secundum ejusdem actum refertur —, sententiam Gardner erroneam demonstrant : 1° absentia a Marco et Matthaeo expressionis τὸ ὑπὲρ ὑμῶν post consecrationem panis, quae legitur apud Paulum XI, 24; 2° differentia formulae, super calicem prolatae, quam Christo tribuunt Paulus ex una parte, Marcus et Matthaeus ab altera; 3° diffe-

describentibus. Evanescit itaque difficultas, si sub lumine reponatur criticae litterariae, et ex compendiosa sui fontis retractatione, quam fecit Marcus, cum P. Knabenbauer et aliis explicanda erit. Aliam vero solutionem subministrabunt illi, qui Lucae XXII, 17-18 habent ut eucharisticos, quidquid de cetero de authentia v. 19-20 censeant. Ita E. Haupt contendit verba de quibus inquirimus, erroneum in modum a tribus synopticis in coenam eucharisticam invecta esse. Quod ita explicat : Marcus et Matthaeus eadem verba unice ex traditione orali cognoverint : quorum ignorantes contextum, ad finem coenae eucharisticae eadem retulerint. Lucas e contra, fonte scripto usus, verba Domini eschatologica prolata viderit super calicem, quem esse eucharisticum perperam putaverit. Et inde esset explicandum, qua ratione eadem composuerit cum calice eucharistico potius quam cum pane. Et revera talis aut similis explicatio esset adinvenienda ab iis qui Lucae XXII, v. 17-18 habent ut eucharisticos : de authentia quippe hujusce logii, quod substantialiter idem tradunt tres synoptici, quodque cognovisse videtur Paulus I Cor. XI, 26, vix poterit dubium moveri, et ab altera parte, tale verbum Eucharistiae celebrationi, quocumque tandem sensu intelligatur, coaptari vix poterit. At nos tali explicatione non indigemus, et hic novum habes in favorem nostrae sententiae circa authentiam et sensum pericope Lucanae v. 15-20 argumentum. Stet itaque conclusio : Verba Christi, relata apud synopticos (Marc. XIV, 25, Matth. XXVI, 29, Luc. XXII, 17) historice in relationem ad coenam paschalem fuerunt prolata, et meliorem apud Lucam quam duos priores synopticos sortiuntur locum. Realem tamen quam ex hac diversitate quidam critici ut Spitta et Joh. Hoffmann inter synopticos firmare nituntur discrepantiam et contradictionem, ex rationibus litterariis facile est amovere. — Alias traditionis petrinae et paulinae divergentias, inter quas praecipua est illa quae spectat mandatum institutionis, ex professo disputatas infra reperies.

rentia expressionis qua suo utraque traditio modo, valorem soteriologicum sanguinis Christi exprimit : ὑπὲρ πολλῶν et ὑπὲρ ὑμῶν : his enim explicandis, in hypothesi impugnata, nulla via superest. Ut enim soli formulae calicis insistamus, quanam moti ratione Marcus et Matthaeus loco formulae paulinae τοῦτο τὸ ποτήριον κ. τ. λ. posuerint formulam sub respectu graecitatis inferiorem, sub respectu theologiae minus claram, adjecta etiam indicatione soteriologiae quam Paulus habet post consecrationem panis, in hypothesi I Cor. XI, 23 sq. his ad modum fontis scripti inserviisse, explicari nequit. Quapropter opinionem Gardner, ut in se gratuitam, ob necessitatem causae adinventam et explicando litterario problemati ineptam cum R. A. Hoffmann et aliis eliminamus.

Quod spectat nunc sententiam Joh. Weiss, erronee vel saltem gratuito ab ipso supponitur, gentium apostolum : 1° modificasse quantum ad sensum, evangelium Eucharistiae et 2° duplicem formam enarrandae et tradendae doctrinae eucharisticae adinvenisse, formam nempe romanam et corinthiacam. Duplicis enim formae paulinae existentiam nihil innuit, nisi id quod est in quaestione, Marcum nempe a traditione orali Pauli pendere supponatur. Et notatum velim duplicem formam paulinam ab erudito auctore adinventam esse ex necessitate causae, eo nimirum fine ut in ipsum Paulum differentias, quae Marcum et Matthaeum inter et Pauli I Cor. XI animadvertuntur, quaeque liberiori synopticorum citationi adscribi nequeunt, referret et sic evaderet necessitatem admittendi traditionem a Paulo independentem. Quapropter contra Joh. Weiss argumentationem hanc struimus : inter Marcum et Paulum intercedunt differentiae tales quae eumdem fontem immediatum utriusque documenti excludant : rem contra Gardner confecimus. Jamvero Paulum duplicem circa Eucharistiam fontem sive formam confecisse est simul gratuitum et inverisimile : est gratuitum, quum in tota retro antiquitate nullum existentiae formae paulinae romanae indicium supersit; est inverisimile, post instantiam quacum apostolus corinthiacam formam proposuit suaque auctoritate munivit. Et vidimus quam intime Lucas XXII, 19 sq., traditionem oralem Pauli secutus, cum eadem cohaereat : unde si

eamdem secuti sint Marcus et Matthaeus, quomodo tam longe a Paulo sicut et a Luca recedant, intelligi non valet.

2° Fundamentum argumentationis qua Joh. Weiss duplicem Paulo adscribendam esse formam eucharisticam demonstret, labile imo erroneum esse elucet. Stat enim in duabus assertionibus his : 1° Lucae textum breviorem esse authenticum aut saltem ejusdem hagiographi XXII, 15-18 ipsam Eucharistiam spectare; 2° expressionem αἷμα τῆς διαθήκης esse mechanicam additionem paulino influxui adscribendam. Talis quippe processus a genuino coenae eucharisticae tenore quamcumque soteriologicam indicationem removet : quum autem salvatorium sacrificii Christi valorem, synoptici Domino coenam instituenti adscribant, hos realem Pauli, soteriologiae doctoris, influxum subiisse consequeretur. At assertionibus his assentiri nequimus : primam ex professo in antecedentibus exclusimus; secundam mox semovebimus.

*
* *

Sint itaque, per modum conclusionis, sequentes propositiones :

1° Marcum XIV, 22 sq. et Matth. XXVI, 26 sq. Pauli circa Eucharistiam traditionem sive scriptam sive oralem in fontem adhibuisse, assertio est recentiorum, in se gratuita et litterario problemati, quod suscitant divergentiae inter varias circa Eucharistiam relationes canonicas obviae, solvendo inepta.

2° His autem explicandis egregium in modum coaptatur trita distinctio inter traditionem paulinam, quam exhibent I Cor. XI, 23 sq. et Lucas XXII, 19 sq. et petrinam seu marcianam, quam repraesentant Marcus XIV, 22 sq. et Matth. XXVI, 26 sq.

3° Utriusque formae fons sive immediatus sive remotus est traditio historica undecim; nec est cur Pauli cognitionem circa Eucharistiae institutionem speciali revelationi sive apocalypsi tribuamus.

4° Fontium filiationi et cognationi explicandis satis aptum videtur sequens schema :

Verba Christi

Traditio oralis undecim

Evang. Matthaei aramaicum — Forma paulina oralis

Marcus XIV, 22 sq. — I Cor. XI, 23 sq.

Matth. XXVI, 26 sq. — Lucas XXII, 19-20

§ 2. — *Critica interpretationis et auctoritatis.*

Plura problemata, recentius mota, necdum communi exegetarum consensu soluta, in disceptationem hic adduci possent. At a definitis nostrae inquisitionis limitibus elongari nolentes, unice intuitu soteriologiae christianae, fontium analysim instituere et historicum valorem probare intendimus. Obvia et naturali textuum, prout jacent, interpretatione, et ritus qui judaico paschati succedat institutionem, et redemptorium Christi corporis et sanguinis, qui sub pane et vino adesse indigitantur, valorem, indubie colligi, dictu vix necesse est. Imo, ex duobus elementis assignatis, novi foederis et sacrificium et oeconomiam, ex morte Christi valorem haurientem resultare, obvium est inferre et explicitis verbis hagiographi testantur.

Quam conceptionem theologicam esse, et christianismi religionis absolutae, quae per sacramentalia media, homines in societate conclusa constitutos sanctificet, caracterem fundare quum deprehenderent, plures critici fontes enervare studuerunt, et apparatu critico maximo adhibito, stabilire allaborarunt sequentes propositiones : 1° Christum coenam paschalem celebrasse dubium est, imo ex fontium examine interno erroneum deprehenditur; 2° novi testamenti, in Christi morte fundati institutio, cum theologia posterioris temporis, imprimis cum speculationibus Pauli cohaeret, et ab ipso Christo indubie est abjudicanda; 3° « magica » sacramenti conceptio, qua ipse Dominus in Eucharistia realiter praesens putatur, ex aliarum religionum, puta Mythrae, mysteriorum Eleusiniorum aut orientalis gnosti-

cismi in christianismum influxu, aut ex erronea verborum Christi interpretatione derivanda est. Catholicum itaque circa Eucharistiam aedificium doctrinale integrum ruinam facit, nec in favorem religionis positivae prout ritibus et institutionibus ceu mediis supernaturalibus animarum sanctificationem procurare studet, ex ultima Christi coena, originali suae simplicitati et veritati per criticam historicam restituta, argumentum quodvis desumi potest.

Quas assertiones critice examinaturi et diluturi de paschatis celebratione (1), deque morte Jesu sacrificali ceu novae oeconomiae fundamento religioso, per ordinem disputabimus.

(1) Cur quaestioni de celebratione paschatis a Christo ex professo hic studeamus, duplex ratio exstat. Prior huc spectat ut ex praesenti inquisitione, quaenam fontibus auctoritas historica competat, elucescat : falsitatis enim circa chronologiam quam ultimae coenae assignant, et tendentiosae totius historiae retractationis incriminatio ipsis opponitur. Altera ratio in eo stat, ut quae circa pascha Christus gessit, examini subjiciendo, illorum quae occasione hujus festi et cum respectu ad ipsum ordinavit, intellectionem praeparemus. Qua in re, ab R. A. Hoffmann, *Die Abendmahlsgedanken Jesu-Christi*, p. 69 sq. Königsberg, 1896, et K. G. Goetz, *o. c.*, p. 135 sq., statuentibus ex Domini coenae cum rituali judaico relatione, nullam ad genuinam Domini intentionem restituendam, indicationem lucrari posse, non dissentire non possumus. Argumenta quibus id suadeant, in compendium retractata, sic sonant : 1° ex externa et chronologica coenarum eucharisticae et paschalis connexione, unam alteri intima, quae ipsum sensum attingat relatione, colligari, non consequitur : talis quippe connexio unice in tantum adstrui posset, in quantum conficeretur *a)* Jesum per plures dies adhuc victurum, praecise momentum manducationi paschatis praestitutum, ut novam oeconomiam institueret, selegisse, ipsumque *b)* in sacrificalem victimam pro suis expiantem se posuisse. Neutrum autem assertum quum stabiliri nequeat, quodvis coenae significationem juxta pascha stabiliendi conamen, radicali sterilitate laborat. 2° Foedus sinaiticum cum Israelis ex Aegypto exitu perperam confunderetur : jamautem pascha judaicum unice in posterioris eventus seu beneficii commemorationem institutum est; et hinc est quod pascha numquam testamentum seu ברית nuncupetur; hinc etiam quod Jerem. XXXI, 33 liberatio populi electi et festum paschale sedulo distinguantur. Quapropter ex hoc etiam capite, caracter paschalis ultimae coenae ad ejusdem significationem religiosam impertinens est. — Ad haec reponitur 1° stabilito coenam eucharisticam

A. De relatione ultimae Christi coenae cum paschate judaico.

Coenam eucharisticam a Synopticis ad 14^{am} Nisan, a quarto vero evangelio ad 13^{am} Nisan referri, pluribus criticis jamdudum visum est. Illorum autem inter ipsos qui posterioris fontis indicationes chronologicas tamquam historicae veritati consentientes agnoscunt et consequenter ultimam coenam extra tempus paschale

sub chronologiae et externi apparatus respectu paschati cohaerere quod quidem non supponimus sed, quo jure dicatur, investigabimus, hanc cohaesionem a parte Christi Vetus Testamentum complentis et perficientis, intentionalem esse, summa cum probabilitate consequetur, et in hypothesi quod haec paschatis manducatio per anticipationem ab ipso indicta fuerit, moraliter certum dicendum erit. Si enim per mortem suam instantem, Christus se a festi judaici celebratione impediendum intellexit, illudque nihilominus celebrandum statuit, specialis intentio ipsi indubie agnoscenda est. Insuper oblivioni dandum non est ex Lucae XXII, 15 testimonio ἐπιθυμίᾳ ἐπεθύμησα τοῦτο τὸ πάσχα φαγεῖν μεθ' ὑμῶν πρὸ τοῦ με παθεῖν — nisi erroneum demonstretur — elucere Dominum Eucharistiae institutionem praemeditata mente paschati copulasse. 2° Institutionem foederis sinaitici et liberationem Israelis ex terra oppressionis, ut sunt facta historica, non posse confundi, nimis manifestum est. Verum aeque certum est paschale festum inter judaica maximum fuisse, eique tempore neo-testamentario hanc ideam, agnum manducantes foederis sinaitici participes fieri, annexam fuisse. Quapropter jure dicit R. SCHAEFER, *o. c.*, p. 172 : « Die Bedeutung (des Passah) lag darin das es das Bundesmahl war... Ieder sollte es feiern, denn jeder sollte als Glied des Bundesvolkes den Bund mit den alten Bundesgott immer wieder erneuern. » — Utrum autem haec conceptio ab initio exstiterit, an e contra, per posterioris temporis speculationes, quales deprehenduntur in codice sacerdotali (P = Exod. XII, 1-28, 43-51, Num. IX, 5-14), enata sit, ut opinatur E. SCHÜRER, *Geschichte des jüdischen Volkes im Zeitalter Jesu-Christi,* III, p. 96[3]. Leipzig, 1898, quaestio est disputata, cujus solutio ad nostram inquisitionem non spectat. — Tandem 3° apud Jeremiam XXXI, 31 sq. exodus ex Aegypto et foedus sinaiticum, distincta quidem sunt beneficia, eidem tamen bonitati Dei, cum foederis perfectioris promissione, adscribuntur : hinc de facili paschale festum utrumque beneficium memorari, sicut et Christus post absolutam coenam paschalem, novi foederis existentiam proclamare potuit.

reponunt, non pauci ut Haupt (1), Jülicher (2), Grafe (3), Clemen (4), ab illegalitate rei ad ejusdem non existentiam gressum facientes, coenam paschalem a Domino pridie suae mortis celebratam esse, jam aperte negarunt. Quorum hac in materia patronus F. Spitta (5) dictam negationem tam solidis fundamentis innixam probavit, ut recentiores critici ut Goetz (6) et Andersen (7) rem extra litem repositam jam proclament et ipse P. Lobstein (8), opinioni quam antea defenderat valedicens, paschatis celebrationem a Christo abjudicet. Quae dijudicaturi, sinceram argumentationis Spitta expositionem praemittamus oportet.

Intracanonicae circa Eucharistiam traditionis documenta, sic ille, ultimam coenam pridie crucifixionis suae et mortis, a Christo celebratam esse, consententia referunt (Matth. XXVI, 20 sq. = Marc. XIV, 17 sq. = Luc. XXII, 14 sq. = I Cor. XI, 23 sq.). Quam chronologiam relativam si quis in absolutam convertat, evidentem inter synopticos et quartum evangelium vigentem antinomismum, statim incurrit. Quod contra scepticismum E. Schürer et conamina apologetica Nösgen statim demonstratur.

Et imprimis quartum evangelium coenae Domini celebrationem ad 13^{am} Nisan referre, assertio est manifesta, ut nulla alia, certitudine gaudens. Facta quippe quae per coenam contigerunt, hisce verbis introducit XIII, 1 πρὸ δὲ τῆς ἑορτῆς τοῦ πάσχα: jam autem determinatio his inhaerens ipsam etiam coenam manifeste spectat; hanc itaque ad pridie 14^{ae} Nisan — qua die festivitas paschalis initium sumebat — id est in 13^{am} Nisan

(1) *O. c.*, p. 20 sq.

(2) *O. c.*, p. 242 sq.

(3) *Die neuesten Forschungen über die urchristliche Abendmahlsfeier*, in *Zeitschrift für Theologie und Kirche*, herausgeg. von D. J. Gottschick, V, ht. 2, p. 121 sq. Freiburg und Leipzig, 1895.

(4) *O. c.*, p. 7 sq.

(5) *O. c.*, p. 210 sq.

(6) *O. c.*, p. 124 sq.

(7) *Das Abendmahl in den zwei ersten Jahrhunderten nach Christus*, p. 19 sq. Giessen, 1904.

(8) *Theologische Litteraturzeitung*, n. 21, 1896.

reponit. Insuper nihil quod Christum pascha manducasse vel insinuet, in hoc fonte adinveniri potest. Convivium celebratum ut coena ordinaria describitur, et absque articulo introducitur XIII, 2 : καὶ δείπνου γενομένου; et quae illo durante gesta sunt, rituali paschali congruere nequeunt. Jam pedum lotio XIII, 5 sq. cum paschatis manducatione nihil commune habet, et media in ceremoniarum paschatis celebrationi legaliter praescriptarum serie, undequaque intolerabilis esset. Quae de Juda legitur pericope, eamdem conclusionem firmat : non tantum enim traditor, ex ipsius Christi indicto, ante coenae exitum recedit — quod paschatis manducationi indubie contradiceret — sed et discipuli ejusdem recessum in finem emendorum ad paschale festum requisitorum esse factum, putasse dicuntur XIII. 29 : potestne talis psychologia apostolis tribui, eo praecise momento quo paschalem coenam sumunt? Supremam itaque Domini coenam, simplicem fuisse agapam, citra cujusvis ritus paschalis observationem celebratam, ex quarto evangelio luculenter colligitur.

Sed et chronologicae, quae circa Domini exitum et facta ipsum concomitantia, determinationes traduntur, in eumdem sensum collineant et 14^{am} Nisan indigitant. Inter alias plures, tres sequentes indicasse juvabit. 1° Claritate fulget quarti evangelistae XVIII, 28 animadversio, Judaeos in praetorium Pilati, in quod a Caipha Jesus introductus narratur, non introiisse « ut non contaminarentur sed ut manducarent pascha » ἵνα μὴ μιανθῶσιν ἀλλὰ φάγωσιν τὸ πάσχα; Judaei itaque postridie coenae, pascha nondum celebraverant. Jam autem prolati textus vim demonstrativam evincere perperam quis conaretur, asserendo Judaeos paschatis celebrationem, facinoris sui perpetrandi intuitu, in 15^{am} Nisan distulisse. Expressionem enim φαγεῖν τὸ πάσχα, in totius litteraturae canonicae documentis, nonnisi ad paschatis manducationem legalem, quae scilicet in 14^{am} Nisan coincidat designandam, usurpari aut usurpari posse, E. Schürer modo apodictico confecit. 2° Quam conclusionem etiam Barabbae historia XVIII, 39 confirmat. Mos enim unum captivum dimittendi — quem Pilatus invocat — huc spectare videtur, ut liberato paschatis manducationi participatio concedatur : quem

in finem, liberationem ante 14^{ae} meridiem obtineri, necesse erat. 3° Tandem tradita XIX, 14 chronologia, qua dicitur crucifixionem in parasceve paschae (ἦν δὲ παρασκευὴ τοῦ πάσχα) locum habuisse, in 15^{am} Nisan quadrare omnino nequit.

Quotquot ergo ex quarto evangelio indicationes chronologicae colliguntur, coenam Domini 13^{a} Nisan, crucifixionem autem et mortem 14^{a} locum habuisse, unanimi ore proclamant. Porro ab indicato testimonio ut quis se expediat, hocque non obstante, paschatis celebrationem Christo revindicet, non sufficit certe reponere ipsum, utpote sabbati dominum, festum paschale anticipare potuisse; verum coenam etsi die non legali celebratam, paschalis ritualis caractere obsignari, per prius est demonstrandum. Talis autem demonstrationis — praeter bonam adversariorum voluntatem — elementa quaecumque desiderantur.

Ad synoptica evangelia, si jam convertamur, ultimam coenam ad 14^{am} Nisan referri, simul ac diversitates quae ab una ad alteram traditionem transitum constituunt, haud aegre reperiemus. Exordium sumatur a Marc. XIV, 1 : Erat autem pascha et azyma post biduum et quaerebant summi sacerdotes et scribae quomodo Jesum dolo tenerent et occiderent. Jam autem, ut ex versu 2 elucet, Christi adversarii eum *ante* paschale festum e medio tollere intenderunt. Festi quippe adventu, se a Christi nece impediendos intellexerunt, eo vel magis quod mediis in redeuntium a Jerusalem in patriam israelitarum fluctibus, Messiam de facili evasurum sciverint. Criminis adhuc ante festum perficiendi intentionem synedrio fuisse, etiam proditionis Judae relatio confirmat XIV, 10 sq. : occasionem Jesum tenendi, a proditore oblatam, summi sacerdotes gaudenter arripiunt; et revera, ut explicitis verbis evangelista testatur, exinde quaesivit Judas quomodo magistrum opportune traderet : καὶ ἐζήτει πῶς αὐτὸν εὐκαίρως παραδοῖ, id est ante festi adventum.

Jamvero ejusdem evangelistae pericope XIV, 12-16 huic relationi indubie contradicit : ubi enim v. 12 simpliciter dicitur : et primo die azymorum, quando pascha immolabant, dicunt ei discipuli : quo vis eamus et paremus tibi ut manduces pascha? synedrii consilia praeversa esse, saltem indirecte significatur, quin hujusce rei rationem — quam obvie exspectamus — auctor

assignet. Cui animadversioni si addatur versum 17 versui 16 nullo nexu apparenti religari, pericopen v. 12-16 posteriori tempore textum ingressam esse, magna cum probabilitate infe-retur. Quam conclusionem, vigens inter v. 13 et 17 antinomismus mirum in modum confirmat : quum enim Dominus juxta v. 13 duos discipulos pascha paraturos jam praemiserit, v. 17 nihilominus cum duodecim eum venisse asseritur. Semota itaque ut spuria pericope v. 12-16, quarto evangelio Marcus in pluribus consentit : Domini quippe mortem ad 14^{am} Nisan, adeoque ultimam coenam ad 13^{am} refert, necnon celebrationis paschatis indicia quaecumque negligit. Stet itaque conclusio prior haec : dum Matthaeus et Lucas coenam eucharisticam in diem paschati manducationi legaliter statutam referunt, quartum evangelium et primitivus Marci textus eamdem in 13^{am} Nisan reponunt.

Sed et ipsum ultimae coenae caracterem pressius investigemus oportet. Juxta Pauli et Lucae traditionem, Christum coenam paschalem et quidem intentionaliter, eo nimirum fine ut paschali celebratione perfecta, novam institutionem fundaret, celebrasse, manifestum est. Marci et Matthaei vero analysis, simplicem et ordinariam coenam non minus aperte praemonstrat. Imprimis quidem, in his posterioribus documentis, actionem a parte Christi praemeditatam non tantum nihil ponit aut supponit, sed et ipsa verba eucharistica tamquam ex instantanea inspiratione prolata exhibentur. Imo, ex coenae apparatu externo sicut nec ex modo quo celebrata refertur, festum religiosum nequidem suspicari quis posset. Nulla quippe ceremonia peracta, Jesus cum discipulis ad mensam simpliciter discubuisse dicitur καὶ ἀνακειμένων αὐτῶν καὶ ἐσθιόντων; per mediam coenam Dominus Judae proditionem vaticinatur, quod juxta paschatis manducationis rituale, inauditum et illegitimum esset : haud poterat enim Christus, patrisfamilias munere fungens, cum tanto ceremonialis contemptu, de rebus ab ipso celebrationis sensu religioso remotissimis, inde ab initio colloquium habere. Allatum mox calicem Jesus suis bibendum porrigit cum hacce, apud Matth. XXVI, 27 servata, invitatione : πίετε ἐξ αὐτοῦ πάντες. Porro, quum ex legis praescripto, quotquot paschatis celebra-

tioni convivae aderant, ex quatuor calicibus bibere haberent, notata invitatio in adversariorum hypothesi, ad minus superflua evaderet.

Insuper a coena ad crucifixionem et mortem gressum si faciamus, in chronologiam joannicam denuo reincidimus, et Christum, juxta Marcum et Matth. 14ª Nisan e vivis sublatum esse, reperimus. Quod reales indicationes sequentes indubie conficiunt : *a*) Simon Cyrenaeus, Christo crucem sibi bajulanti, rediens ex agro occurrit, Marc. XV, 21; *b*) Judaei Barabbae liberationem petunt, Marc. XV, 6 sq.; *c*) Joseph ab Arimathaea, Christi corpus sepulturus, Pilatum adit, et quae ad sepulturam necessaria sunt, emit. Jamautem haec omnia quae cum crucifixione et morte chronologice coincidunt, die festivo 15ªᵉ Nisan, locum habuisse nequeunt : ad 14ªᵐ itaque reponenda sunt. Quam chronologiam de cetero, integra litteratura extracanonica, et imprimis recenter adinventum evangelium Petri et Didascalia, splendidum in modum confirmant. Quapropter, quum haec duo documenta extrabiblica a quarto evangelio et ab invicem independentia videantur, traditionis undequaque determinatae tria testimonia independentia, nulla subtilitate enervanda prostare, manifestum est.

Sequentes itaque conclusiones, teste Spitta, rei veritatem historicam reddere natae videntur : 1° dum Lucae traditio coenam eucharisticam 14ª Nisan celebratam refert, eamdem primitivus Marci textus ad 13ªᵐ Nisam reposuit : verum, secundi evangelii tenor, ex introducta posteriori tempore pericope v. 12-16 XIV immutationem accepit. 2° Marcus et Matthaeus ordinariam coenam a Christo habitam esse enarrant; traditio vero Pauli et Lucae paschatis celebrationem Domino tribuunt. 3° Historice loquendo, Christus 14ª Nisan, ut quartum evangelium et integra extracanonica litteratura testantur, mortuus est : qua chronologia quivis ultimam coenam inter et pascha judaicum nexus exclusus apparet.

* * *

Nervosam Spitta argumentationem dissecare et dijudicare, haud injucundum videtur. Ab examinis autem limine, sedulo

notatum velimus duas quaestiones nobis praejacere omnino distinctas : prior celebrationis ultimae coenae et mortis Domini chronologiam absolutam spectat — relativam enim circa chronologiam, exitum nempe Christi postridie coenae contigisse, omnes consentiunt —; altera circa ultimae coenae caracterem versatur et huc redit, celebraveritne Christus coenam, quae juxta externum suum apparatum et ciborum naturam paschalis sit, annon. Etenim duae quaestiones assignatae nullo indissolubili nexu inter se cohaerent : dato chronologico inter fontes antinomismo, Jesum pascha non celebrasse statim non consequitur. Pro casu enim quo joannica chronologia ut historica agnoscatur, superest possibilitas dominum sabbati festum judaicum anticipasse, et si fidelis deprehendatur praetensa synopticorum chronologia, a priori haud impossibile videtur, Judaeos judicandi, damnandi et necandi Christi causa aut alio quovis motivo festum in 15^{am} Nisan retardasse. Porro tota inquisitio Spitta hasce duas quaestiones per modum unius pertractat, quo mendosam nostrorum fontium chronologiam, ex legendaria eorumdem tendentia ultimam coenam paschatis celebrationi religandi, enatam esse eluceat. Verum, nisi haec tendentia legendaria et historicam veritatem oppugnans aliunde demonstretur, methodus haec obtinendo scopo impar est, et facili negotio, hunc in modum retorqueri posset : ex veraci sua et historica scientia, Christum pascha manducasse, huc adducti sunt evangelistae, ut ultimae coenae celebrationem 13^{a} Nisan peractam, in diem paschatis celebrationi legaliter statutam, id est in 14^{am} referrent. Quaestiones itaque, respective coenae chronologiam et ejusdem cum paschate relationem spectantes sejungendae apparent, et ab hac altera exordimur.

*
* *

Traditionem paulino-lucanam Eucharistiam paschati colligare, utriusque celebrationem Christo vindicare, communis est inter Spitta et nos assertio. Res de cetero dubium non patitur. In tertio quippe evangelio, Jesus occasione manducationis paschatis, supremam suam voluntatem seu testamentum se tradi-

turum, hisce verbis XXII, 15 nuntiat : « desiderio desideravi hoc pascha manducare vobiscum antequam patiar ». Collineat et monitio apostoli I Cor. XI, 26 : « quotiescumque enim manducabitis panem hunc et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat » : haec enim praescriptioni haggadae, id est traditioni de liberatione Israelis ex servitute Aegypti, juxta praescriptionem Exodi XII, 27 καὶ ἀναγγελεῖς τῷ υἱῷ σου ἐν τῇ ἡμέρᾳ ἐκείνῃ, a generatione in generationem transmittendae, egregie correspondet. Insuper expressio a Paulo I Cor. X, 16 usurpata ποτήριον τῆς εὐλογίας ὃ εὐλογοῦμεν similem ad festum paschale allusionem continet, quod Spitta (1) et R. Schaefer (2) immerito in dubium vocarunt. Quod ut rite perspicias, sedulo notandum tertium ex quatuor ad paschatis manducationem calicibus legaliter pertinentibus, dictum esse כוס הברכה = calicem benedictionis : hunc itaque apostolus, eminentem coenae christianae dignitatem, per oppositionem ad convivia pagana et cum respectu ad ceremoniale judaicum indigitans, prae oculis habuit. Nec est cur cum Heinrici (3) reduplicationem additam ὃ εὐλογοῦμεν, juxta psalm. CXV, 4 et Is. LI, 17, ut quae benedictionem Christi calici inhaerere significet, interpretemur. Dicta enim verba sensu activo sumenda sunt, nec alio fine ab apostolo addita sunt, nisi ut antetypum christianum typo judaico hunc in modum opponeret : calix benedictionis, *cui nos christiani benedicimus*, et ob quem in coena eucharistica gratias agimus, sanguinis Christi participes nos reddit.

Vigere de cetero, apud Paulum, typum paschalem inter et antetypum eucharisticum differentias, non est cur miremur : continet enim coena eucharistica, praeter valorem testamentarium, cibum et potum spiritualem, quorum receptionem facilem et frequentem reddere primitiva Ecclesia disposuit. Hinc vanam esse elucet objectionem Spitta (4), Haupt (5), R. A. Hoffmann (6) et aliorum contendentium festum quod paschati, quan-

(1) *O. c.*, p. 248 sq.
(2) *O. c.*, p. 339. Cfr. J. Hehn, *O. c.*, p. 92 sq.
(3) *O. c.*, p. 305.
(4) *O. c.*, p. 246.
(5) *O. c.*, p. 20.
(6) *O. c.*, p. 75.

tum ad valorem ejusdem religiosum succedat, nonnisi semel in anno celebrari posse. Manet enim inter pascha et coenam Domini parallelismus, etiamsi ad omnia et singula utriusque festi elementa non extendatur. Quapropter eucharisticae receptionis frequentia, quam apostolus supponit, nexui quo coenam paschati colligat, contradicere nequit.

Ad evangelium Marci gressum facimus. Quamlibet paschatis mentionem a Marco remoturus, Spitta pericopen XIV, 12-16 tamquam spurium posterioris temporis foetum ex eodem praescindendum proclamavit. Quam operationem, ex traditione manuscriptiali nullatenus justificatam, juxta internam impugnati textus criticam legitimam probare suscepit. Argumenta quibus id suadeat, huc redeunt : 1° dicta pericope cum initio capitis XIV quadrare nequit : dum enim versus 1 et 2 synedrio Christum ante festum occidendi intentionem adscribunt, v. 12 sq. hanc machinationem, nulla adjecta explicatione, effectu frustratam esse, simpliciter supponunt. 2° Insolubilis inter v. 13 et 17 antinomismus deprehenditur : dum enim juxta priorem locum, duo discipuli pascha paraturi praemittuntur, in v. 17 Jesum versus vesperam cum duodecim venisse asseritur. 3° Quivis nexus, quo v. 16 et 17 inter se colligentur, desideratur.

Quas considerationes demonstrandae thesi Spitta esse impares, non immerito sustinemus. Imprimis, synedristarum de Jesu die festo non occidendo verba, μὴ ἐν τῇ ἑορτῇ, interpretationem suscipere possunt duplicem : Jesum ante festum, vel, post festum necabimus. Porro utrique sua probabilitas et auctoritas competunt. Priori, quam etiam Polzl, Grimm et O. Holtzmann (1) tuentur, favere videtur circumstantia, quae certe synedrium latere non potuit, Jesum post festivitatem, quum mediis in redeuntibus israelitis de facili disparere potuerit, difficulter captum iri; posteriorem, cui cum aliis B. Weiss, Schegg et Belser (2)

(1) *Das Abendmahl im Urchristentum*, in *Zeitschrift für neutestamentliche Wissenschaft und die Kunde des Urchristentums*, V, p. 89 sq. Giessen, 1904.

(2) *O. c.*, p. 150 sq. Doctus exegeta catholicus sensum suum hunc in modum justificat : « Zunächst hat man nicht von dem Bericht des Markus

adhaerent, Jesum ante festum, post biduum jam celebrandum, capessendi et occidendi difficultas commendare videtur. Maxima itaque executionis difficultas synedristarum machinationi opponebatur. Quapropter dicentes summos sacerdotes Christi mortem unice decrevisse, sui criminis autem executionem tempori mandasse, semper paratos data occasione idem perpetrari, a veritate historica et evangelistae mente XIV, 1-2 haud elongamur. Cui opinioni nostrae optime congruit narratio Lucae XXII, 2. « Et quaerebant principes sacerdotum et scribae quomodo Jesum interficerent : timebant vero plebem » : etenim tria evangelistae verba ἐζήτουν, ἀνέλωσιν, ἐφοβοῦντο synedrii sensus, desiderium simul et timorem, egregie describunt. Porro interventio Judae, qui quum ex Domini familiaribus esset, citra populi concursum magistrum tradere posset, hanc dubitationem tulit, et momentum traditioni idoneum jam quaesivit : καὶ ἐζήτει πῶς αὐτὸν εὐκαίρως παραδοῖ. Nec alium sensum requirit Matthaeus XXVI, 2 mortis post biduum eventurae prophetiam in ore Christi reponendo. Etenim, etiamsi verba v. 5 : ἔλεγον δέ · μὴ ἐν τῇ ἑορτῇ ut quae synedrii intentionem Jesum ante festivitatem interficiendi supponant, intelligenda videantur, quum evangelista eventus, quibus mors Domini completur, tamquam prophetiae realizationem describat, haec impressio narrationis pragmatismo adscribenda est, nec ad genuinum horum verborum sensum aperiendum conducere potest.

Atqui synedrii intentione sic restituta, marciana XIV, 12-16

sondern von dem des Matthäus als dem genauesten und bestimmtesten auszugehen. Dieser aber schreibt : συνεβουλεύσαντο ἵνα τὸν Ἰησοῦν δόλῳ κρατήσωσιν καὶ ἀποκτείνωσιν · ἔλεγον δέ · μὴ ἐν τῇ ἑορτῇ. Da kann man aber doch nicht verkennen dass man μὴ ἐν τῇ ἑορτῇ auf beide Verba beziehen muss... Was aber die Darstellung des Markus betrifft, so bereitet sie allerdings einige Schwierigkeit, namentlich wegen des ἔλεγον δέ... dabei ist die Eigentümlichkeit der Wendung anzuerkennen, aber der gedanke doch völlig durchsichtig : es suchten die Hohenpriester wie sie ihn *nach dem Feste* durch List ergreifen und töten könnten; denn, sprachen sie, nicht am Feste dürfen wir dies wagen. » — Oppositio quam vox δέ infert, nostrae interpretationi certe multo melius congruit.

pericope, quum explicet quomodo coenae paschalis et eucharisticae praeparatio et celebratio, idoneam proditionis suae perficiendae occasionem Judae praebuerint, nedum v. 1 sq. contradicat, eisdem contra, historiae tramiti constituendae, complementum necessarium affert. Ipsa itaque eventuum expositione, quasi reali contextu, evangelista synedristarum machinationum rationem reddit. Die 12ª Nisan principes sacerdotum necem Jesu machinantur; eadem die de proditione executioni mox mandanda, Judas cum eis convenit; coenae autem paschalis ad vesperam manducandae praeparatio, quae juxta chronologiam Spitta in 13ªᵐ incidit, faustam proditori opportunitatem magistrum nocentium manibus tradendi aperit. Haec certe optime inter se cohaerent : quod, quomodo Spitta et O. Holzmann perspicacia non detegerit, mirum videtur. Ceterum dato, non concesso, synedrium Jesum ante festum tenere et occidere decrevisse, et a die festo ex plebis timore refugisse, cur Marcus, referendo quae refert, explicaret qua ratione inimici Domini consilia sua immutaverint, nulla ratio cogebat : posita enim chronologia Spitta, qua coenae celebratio ad 13ªᵐ refertur, stricte loquendo saltem Christi captivitas festum praecedit et consequenter suppositae synedrii intentioni correspondet. Insuper, praescissa ut spuria pericope impugnata, melior connexio nullatenus obtinetur : ubi enim v. 17 legitur : « vespere autem facto, venit Jesus cum duodecim » spem conjuratos fefellisse, quin tamen auctor hujusce rei rationem assignet, saltem indirecte consequitur.

Nec majori demonstrativa vi pollet praetensa inter v. 13 et 17 contradictio, in eo reposita quod Jesus, quum duos jam discipulos praemiserit, cum duodecim venire dicatur. Etenim *a)* duos apostolos praemissos interim ad Jesum rediisse, impossibile non est; *b)* adhibita expressio μετὰ τῶν δώδεκα ad apostolorum corpus designandum solemnis est, et ut talis hic probabilius usurpata prostat; *c)* tandem minima haec contradictio, etiamsi adesse demonstretur, rei substantiam non attingit : evangelistae quippe unice curae fuit asserere Jesum cum integro apostolorum collegio in coenaculum convenisse, quod, etiamsi omnes simul non advenerint, verum manet.

Tandem allegata a Spitta, cujusvis inter v. 16 et 17 connexionis absentia, nullatenus demonstratur : verba enim v. 17 καὶ ὀψίας γενομένης, ἔρχεται μετὰ τῶν δώδεκα, celebrationem coenae, cujus praeparatio in versu immediate praecedenti exposita reperitur, congrue introducunt. Imo, dempta pericope v. 12-16 connexio quaevis decidit et integer evangelii ordo evertitur. Ut enim scite advertit O. Holtzmann (1), posito v. 17 versui 11

(1) *O. c.,* p. 89 sq. — Verum dum O. Holtzmann ex sua animadversione, quum et ipse pericopen v. 12-16 tamquam spuriam consideret, integram Marci narrationem legendariam esse, ulterius inferat, nos eamdem, postquam dictae pericope authentiam vindicavimus, historicam proclamamus. — Recentius Joh. Weiss, *Das älteste Evangelium,* p. 287 sq. Göttingen, 1903, narrationem Marcianam legendariam aut tendentiosam demonstrare attentavit. Considerationes huc spectantes, ad sequentia capita reducuntur. Pericope Marciana, sic ille, supponit Jesum per diem, ad cujus vesperam coenam celebravit, in Bethania versatum esse et primum ad vesperam urbem sanctam petiisse. Porro talis suppositio toti sectioni c. XI sq. quae Jesum per diem Hierosolymis docentem et ad vesperam in Bethaniam sive in montem olivarum tendentem exhibet, manifeste contradicit. Quae de pernoctatione Domini in Bethania traditio, 1° ex unctionis historia, in qua ipse coenam nocturnam in Bethania sumens describitur; 2° ex traditione circa maledictionem fici, in qua interdiu a Bethania Jerusalem petere dicitur; 3° tandem ex intima relatione, quam Marcus unctionem inter et mortem ponit, enata fuerit. Apud Joannem vero, unctionem a coena sex dierum spatio separantem, haec intima relatio desideratur, et quum Joanni Lucas in hoc consentiat, quod et ipse Christum singulis noctibus olivarum montem petentem adeo ut Judas eumdem ibi quaerendum sciat, exhibeat, ipsi prae Marco assentiendum videtur. Porro Christum, diem in urbe sancta et noctem in ejusdem vicinitate peragentem, Hierosolymis in amica domo coenasse facile intelligitur. Verum in hac hypothesi, specialis coenae praeparatio superflua erat. E contra, si habitualiter Bethaniae commoretur, et unice paschatis occasione Jerusalem veniat, praeparatione immediata opus erat. Marcus itaque duorum discipulorum missionem describens, simul exprimit convictionem suam ultimam coenam fuisse paschalem, et totam suam pericopen cum bethanica traditione cohaerere demonstrat. — Ad haec reponitur : 1° Dato, non concesso, Marcum, ex desiderio paschatis celebrationem Christo vindicandi, historiam evangelicam retractasse et aliquem pragmatismum introduxisse, hanc convictionem erroneam esse, nullatenus consequitur. Quantum enim ad paschatis celebrationem, secundus evangelista testis ocularis haud immerito creditur, quod pro reliquis eventibus ab ipso expositis non obtinet.

immediate colligari, consequitur et Jesum coenam in coenaculo sumpsisse eadem die qua apud Simonem coenavit, — adeoque contradictio inter v. 18 et 3 introducitur, — et ultimam coenam ad 12^am Nisan esse referendam.

Jam autem in Marci pericope, cujus authentiam in tutis reposuimus, quamque compendiose et Matth. XXVI, 17-19 reproducit, Dominum coenam suam paschalem voluisse ex professo docetur. Paschatis itaque celebrationem traditionum petrinae et paulinae documenta, miro consensu Christo vindicant (1).

Solida quippe cum probabilitate cum adolescente de quo ipse XIV, 51 et 52 a non paucis criticis identificatur, et ultimam coenam in ipsius domo celebratam esse, sustineri potest : de qua re, lectorem remittimus ad opus TH. ZAHN, *Die Dormitio Sanctae Virginis und das Haus des Johannes Marcus,* Leipzig, 1899. 2° Pericopen Marci XIV, 12-16 supponere Jesum interdiu extra civitatem versatum esse et versus vesperam Jerusalem venisse, non infitiamur. Verum hanc evangelistae suasionem cum quavis traditione non exacta cohaerere, non perspicimus. Quod enim dicitur XIV, 49 : quotidie eram apud vos in templo docens etc., non supponit Christum per integras dies, nec per diem qua captivus factus est, in templo commoratum esse : quibus positis, quivis inter fontes canonicos antinomismus allegatus, semovetur. Sicut enim Marcus XIV, 13, ita et Matth. XXVI, 18 et Lucas XXII, 10 Jesum, quum duobus discipulis parandi pascha munus demandaret, extra civitatem versatum esse supponunt; praecedentibus autem diebus eumdem in templo docuisse, unanimi ore referunt : Marc. XI, 15, 27, XII, 41, XIII, 1; Matth. XXI, 23, XXIV, 1; Luc. XIX, 45, XX, 1, XXI, 1. Primo tamen aspectu, difficultatem facere videtur testimonium Marci XI, 11 : cum autem jam vespera esset hora, exiit in Bethaniam cum duodecim; 12, Et alia die καὶ τῇ ἐπαύριον cum exirent a Bethania esuriit, necnon v. 18 et 19, quibus cum locis, et Matth. XXI, 17 et 18 (excepto quod ficum immediate post maledictionem arefactam praemonstret) cohaeret, comparatum ad Luc. XXI, 37 : noctibus autem exiens, morabatur in monte, qui dicitur oliveti. Si vero teneatur Jesum hisce unice noctibus, quas Hierosolymis peregit, montem olivarum adire solitum esse, — quod in se valde rationabile est — huncque esse Lucae XXI, 37 sensum, omnis difficultas evanescit. In hac enim hypothesi Judas, independenter etiam a speciali informatione, magistrum ad vesperam pascha in urbe sancta manducaturum, post absolutam ceremoniam olivarum montem aditurum esse, scire potuit. 3° Prostare de cetero apud Marcum, aliquem expositionis pragmatismum, ut XI, 1-6 et XIV, 12-16, valori ipsius historico non officientem, non negamus.

(1) *O. c.,* p. 136 sq.

Quartum autem evangelium quod attinet, quum synopticorum narrationem supponat, suamque circa Eucharistiam doctrinam cap. VI jam sufficienter exposuerit, et praecipue circa doctrinam a magistro suos derelicturo traditam praeoccupetur, non erat cur speciali cura caracteri eorum quae per coenam gesta sunt, insisteret. Aprocrypha tandem scripta, ut solide probavit R. Schaefer (1), aut quavis auctoritate historica destituta sunt, aut nonnisi in chronologiae quaestione invocari possunt.

Quapropter opinioni Spitta et sequacium firmandae, nonnisi unica remanet via, demonstrandi nimirum coenae descriptiones

(1) In documento, quod recentissime in lucem edidit E. Révillout, *L'Evangile des XII apôtres récemment découvert*, in *Revue biblique*, Nouv. Série, I, p. 167 sq., 321 sq. Paris, 1904, coenae Domini descriptio, gallico idiomate restituta, sic sonat (p. 322 sq) : « Le Sauveur le mit (Matthias) avec les douze et la table était devant eux. Quand le Sauveur étendait la main vers la nourriture, la table faisait le tour, de sorte que tous étendaient la main vers ce dont le Sauveur mangeait; et il le bénissait. Matthias déposa un plat, sur lequel était un coq. Le sel était sur la table. Le Sauveur étendit la main pour manger du sel d'abord; et sur la table qui faisait le tour, tous les disciples en prirent. Matthias dit à Jésus : Rabbi, tu vois ce coq. Lorsque les Juifs me virent le tuer, ils dirent : On tuera ton maître comme ce coq. Jésus sourit. Il dit : O Matthias, la parole qu'ils ont dite, ils l'accompliront, etc. » — Quo ex documento, quod Révillout ad initium saeculi II refert, quum ultimam Domini coenam non ut paschalem describat, serium contra nostram sententiam argumentum desumi, obvie quis inferret. Verum 1° prolatum documentum esse adeo antiquum, dubitamus omnino; imo si assumptionis Mariae descriptio, ejusdem sit pars, ut Révillout opinatur, indubie multo recentius dicendum erit. 2° Quidquid sit de ejusdem aetate, in pluribus manifeste legendarium demonstratur : *a)* legendarie, in ipsa nostra pericope, de Matthia sermo movetur : quum enim Dominus cum duodecim coenaverit, et Matthias tantum post Christi exitum in apostolum constitutus fuerit (Act. Apost. I, 26), hunc coenae interfuisse possibile non est. *b)* Quae legitur circa gallum pericope, indubie adventitia est : ex galli mentione, quam Dominus Petri lapsum praedicens fecerat, introducta videtur. *c)* Doctrinae et sententiae expositae, cum liberiori et tendentiosa quarti evangelii interpretatione cohaerent. *d)* Tandem agni paschalis manducatio, in dicta pericope, non affirmatur quidem, sed nec excluditur : porro, ante agni paschalis manducationem alii cibi sumi poterant. Itaque ex fragmento Révillout, nullum nostrae sententiae praejudicium oboriri potest.

a Marco et Matthaeo curatas, a paschatis caractere refugere, imo eumdem excludere. Tali quippe demonstratione, quum hodiernus fontium textus paschatis celebrationem Christo indubie vindicet, primitivam traditionem ab evangelistis retractatam esse conficeretur. Et revera, adversarios omnia et singula descriptionis momenta, quae aut simplicem coenam supponant aut cum paschali manducatione non quadrent, scrupulose inquirentes vidimus. Quod quo successu peregerint, jam videamus.

Primum contra paschatis celebrationem praejudicium, ex generali quam duorum priorum evangelistarum lectio produceret impressione, hauserunt : Christum, coenam ordinariam sumentem, ex instantanea inspiratione quaedam locutum esse, ex obvia et naturali Marci et Matthaei interpretatione colligi, asseverant.

At talis impressio, quam olim rationalista Paulus (1) jam habuit, quamque recenter Spitta (2), Haupt (3) et Jülicher (4) denuo perceperunt, ut mere subjectiva et fontium tenori contradicens exploditur. Praeparationem quippe coenae paschalis a Domino indictam esse, unanimi ore synoptici testantur (Marc. XIV, 13 sq., Matth. XXVI, 18 sq., Luc. XXII, 11 sq.). Nec juvat hanc fontium assertionem ut legendariam respuere, propterea quod eventuum prout in concreto se habuisse censentur, accuratissimam praevisionem Christo adscribant. Dato enim, non concesso, vaticinia in ore Domini reposita, ex eventu esse enata, coenam ut paschalem praeparatam et celebratam esse, nihilominus, imo eo certius consequeretur : eorum enim quae paschatis praeparationem concomitata narrantur praedictionem, nisi ex eorumdem realitatis suasione, adinvenire non potuissent. Insuper quaenam doctrina aut institutio magis praegnans esse potest illa, quae consecrationis formulis, sensu litterali intellectis, inest? Vera itaque Domini intentio, quum a natura actionum ab ipso

(1) Cfr. R. Schaefer, *O. c.*, p. 100.
(2) *O. c.*, p. 233.
(3) *O. c.*, p. 24.
(4) *O. c.*, p. 239 sq.

peractarum dependeat, plenam ejusdem determinationem ad mox disputanda remittimus.

Nec multo majorem vim facit consideratio huc tendens, ut actuum et sermonum, ab evangelistis Christo coenanti adscriptorum series, cum legali paschatis manducatione inconciliabilis demonstretur. 1° Juxta traditionem petrinam, ait Spitta, Dominus circa traditorem cum discipulis colloquium habuit, imo hunc, ut ante coenae finem recederet, saltem indirecte sollicitavit : porro, talis agendi ratio, a munere patrifamilias legaliter praescripto, quam longissime recedit. 2° Insuper ejusdem traditionis fons alter, Matth. XXVI, 27, calicis traditionem hac invitatione πίετε ἐξ αὐτοῦ πάντες factam referunt; quam invitationem etiam Marcus, quum dicat καὶ ἔπιον ἐξ αὐτοῦ πάντες implicite supponit. Jam autem in coena paschali, quum unusquisque discumbentium etiam pauperrimus, ex quatuor calicibus bibere haberet, talis invitatio esset undequaque superflua. 3° Tandem traditioni paulinae sicut et petrinae communis est assertio, paschali ritui, ut olim jam animadvertit Lightfoot, contradicens benedictionem seu εὐλογίαν panis traditionem, eodem modo ac in panum multiplicatione praecessisse (Marc. XIV, 22, Matth. XXVI, 26, Luc. XXII, 19, I Cor. XI, 24, coll. Matth. XIV, 19, XV, 36).

Quas objectiones critice retundere, haud difficile videtur. Imprimis enim eisdem per modum fundamenti supponitur Christum aut omnes et singulas praescriptiones, sive ex lege, sive ex consuetudine, paschatis celebrationi praescriptas, observasse, aut pascha non manducasse. Jamvero cum dominus sabbati, positivas institutiones quovis valore mox orbandas tractaverit, et Eucharistiam paschati successuram docere intenderit, dictum suppositum ut labile, imo erroneum exploditur. Exemplo sit tertia consideratio mox adducta, Christi nempe benedictionem panis traditionem praecessisse. Eo ipso quod panis paschalis, in corpus Domini esset convertendus, jam non erat unice paschalis, at praecise per benedictionem et verba eamdem concomitantia, in eucharisticum instituendus erat. Quae consecratio, quin panis adhibitus fuerit azymus, juxta ceremoniale paschatis super mensam positus, adeoque paschalis, certe non impedit.

Insuper ritus paschales a Domino observatos non esse, non demonstratur. In contrarium jam facit ipsa evangeliorum attestatio, Petrum et Joannem coenam praeparasse paschalem, Christum autem ad vesperam eamdem cum suis manducasse. Marcus et Matthaeus, quum de sola Eucharistiae institutione solliciti appareant, hanc manducationem nec describunt, nec describere debebant; Joannes, quum synopticos ante se supponat (1), paschatis celebrationem congrue omittere potuit; Paulus — quem coenam ceu paschalem considerare confecimus —, non agens historiographum, et abusus in corinthiaca civitate circa praxim eucharisticam vigentes correcturus, caracterem coenae paschalem tamquam scopo suo impertinentem, de facili neglexit; tandem Lucas paschatis celebrationem, at unice sub ratione typi subsequentis Eucharistiae instituit. Jam autem si ponamus cum adversariis, hagiographos paschatis celebrationem in ultimam coenam tendentiose introduxisse, explicitam et concretam ejusdem descriptionem, ab ipsis merito exspectaremus. Quum itaque ultimam coenam paschalem fuisse, simpliciter asseverent, ritus saltem essentiales a Christo observatos esse, implicite docent, et omnis, hac in materia, tendendiae se expertos comprobant.

Qui nobiscum faciunt critici, positiva coenae paschalis ex nostris fontibus colligere indicia, hisque innixi relationem qua paschati Eucharistia religatur, restituere susceperunt. Cujus inquisitionis conclusio, pluribus praeplacens haec est, quartum calicem paschalem a Christo tamquam Eucharistiae materiam assumptum esse : quam assertionem egregium in modum cum textibus congruere, Bickell (2) et Berning (3) sat solide stabi-

(1) Cfr. TH. ZAHN, *Einleitung in das Neue Testament*, II, p. 500[2]. Leipzig, 1900.

(2) *Zeitschrift für Katholische Theologie*, 1880, p. 94 sq.

(3) *O. c.*, p. 235 sq. — De paschatis celebratione, prout Christi tempore se habuit, quaedam hic notasse juvabit. Saeculorum decursu, quasdam hac in materia modificationes esse introductas, in variis scholis puta Hillel et Schammaï de quibusdam minoris momenti lites viguisse. celebrationis etiam inter Rabbanitas et Caraïtas discrepantiam viguisse, constat. Fontes autem coaevi, ex quibus ceremoniale in festivitate pas-

lierunt. Prior enim auctor, Missae liturgiam juxta paschatis rituale ab initio sic constitutam esse, ut praefatio ex magno

chali tempore Christi observari assuetum restituamus, vix supersunt : Philo quippe et Josephus nonnisi perpauca nobis indicia reliquerunt; litteratura haggadica vero, praeterquam quod a Christi tempore longius distet, pluribus additamentis, inter quae habetur oratio ad Deum directa, ut templum et cultum, quae a. 70 ruinam fecerant, restituat, ditata apparet. Ex Mischnah tamen, praescriptiones legales tenore relative authentico colligi possunt : easdem in compendium retrahimus. 1° Agnus paschalis, absque macula, masculus, anniculus, inde a 10ª Nisan selectus, die 14ª, et quandoque 15ª Nisan, in templo mactatus, totus assabatur, et per noctem quae in 15ᵃᵐ Nisan vergit, comedebatur. 2° Inde a 14ª Nisan et per septem dies subsequentes, panis manducabatur nonnisi azymus : quapropter festum paschale etiam Mazzoth-festum denominatum est. Ad coenam paschalem, duo vel tres panes asportabantur. 3° Olera amara, juxta Exod. I, 14, XII, 8 praescriptum in coena paschali sumenda, in vasculo cum aqua et sale condiebantur. 4° Unusquisque participantium ex quatuor calicibus *vinum aqua* commixtum continentibus, bibere habebat. Utrum tempore neo-testamentario, quintus calix non obligatorius adhiberi soleret, dubium est. — Ad ceremoniarum ordinem quod attinet, hunc in modum peragebatur. Post omnium convivarum manuum lotionem, primus calix vino impletur, sub recitatione orationis « Kiddusch » in qua Deus ob donatum hominibus vineae fructum benedicitur. Adjungitur et gratiarum actio ob servatos usque in hanc diem, commensales. Dein calix sumitur et quidem ita ut commensalis quivis suum calicem bibat, aut si unus tantum calix adsit, hic ab uno ad alium transmittatur. Dein paterfamilias, manibus denuo lotis, olera sub pronuntiatione εὐλογίας, condit. Quo peracto, secundus calix impletur, et commensalium junior de coenae ejusque ceremonialis significatione instrui rogat. Quem itaque paterfamilias haggadah i. e. traditionem circa Israelis ex Aegypto liberationem, juxta Exod. XII, 36, XIII, 8, Deut. VI, 20 edocet : quae ceremonia per recitationem partialem Hallel, id est psalmorum CXIII et CXIV finem accipit. Dein secundus calix sumitur. Quae hucusque exposuimus, quasi coenae proprie dictae introductionem constituunt. Mox discumbentes, manus denuo lavant, benedicentes Deum. Quo finito, paterfamilias utrumque panem azymum sumens, alterum frangit, et huic alterum cum oratione supponit; dein conditis pane et oleribus cum charoseth, incipit coena proprie dicta, in qua post sumptos alios cibos, agnus paschalis comeditur. Post haec tertius calix impletur, Deoque gratiae aguntur. Quarto tandem calice impleto et sumpto, magnus Hallel, psalmis CXV usque CXVIII constans, recitatur. Cfr. Rud. Schaefer, *Der Passah-Mazzoth-Fest nach seinem Ursprung und Bedeutung*, Gütersloh, 1900; Keil, *Handbuch der biblischen Archäologie*, p. 384 sq. Leipzig, 1858.

Hallel, qui super quartum calicem paschalem recitabatur efformata appareat, demonstrare nisus est. Alter autem exegeta solidius suae sententiae argumentum in Lucae XXII, 15 sq. narratione, collocavit. In parallelismo enim inter versus 16 et 18 existente, supponitur Jesum v. 16 agni paschalis manducationem indigitare : jamvero, haec sumptum secundum calicem subsequebatur, adeo ut v. 17 de tertio calice sermonem moveri merito concludamus : quapropter solus quartus, ut consecrationis materia v. 20 superest (1).

Qua relatione posita, quaestio utrum Judas pascha manducaverit, a e contra juxta Christi consilium (Jo. XIII, 27) ante absolutam coenam paschalem discesserit, cum hac altera, utrum ipse Eucharistiam sumpserit, confunditur. Hanc autem quaestionem, defectu indicationum fontium, certam solutionem capere non posse, reputamus (2). Quamlibet autem solutionem haec quaestio accipiat, nullum exinde contra sententiam nostram argumentum desumi potest. A momento quippe quo Eucharistia instituta est, hanc praeprimis Dominum prae oculis habuisse, manifestum est : proditoris itaque recessus cum respectu ad coenam eucharisticam, multo magis ac paschalem, dijudicari debet. Quod etiam de invitatione apud Matth. XXVI, 28, servata, dictum sonet.

Tandem hymni recitatio, qua coena concluditur (Matth. XXVI, 30, Marc. XIV, 26) ritus paschales denuo indicat.

*
* *

Respectivae vero quarti evangelii et synopticorum chronologiae, quae alterius quaestionis paschatis celebrationem spec-

(1) Bickell inter alia documenta, invocat etiam orationes IX et X Didache *(Zeitschrift für Katholische Theologie*, 1884, p. 400 sq.). Argumentum illud labile, imo nullum est in hypothesi nuper defensa a P. Ladeuze, *L'Eucharistie et les agapes dans la Didache*, in *Revue de l'Orient chrétien*, p. 339 sq. Paris, 1902, capita IX et X hujus documenti Eucharistiam non respicere; de quo infra.

(2) In favorem opinionis negantis loquitur J. Belser, *Die Geschichte des Leidens und Sterbens, der Auferstehung und der Himmelfahrt des Herrn*, p. 160 sq. Freiburg, 1903; affirmantem tuetur A. Loisy, *Le quatrième Evangile*, p. 724, Paris, 1903.

tantis objectum constituit, non est cur diutius immoremur : ad inquisitionem nostram enim vix refert. Etiamsi demonstretur antinomismum inter fontes sub hoc respectu prostare, detrimentum inde sententia mox stabilita, scilicet Dominum cœnam paschalem manducasse, nullum acciperet. Et certe assertioni mox demonstrandae, Christum fundasse institutionem, quae objective et ob inhaerentem sibi vim, veteri testamento succedat, praejudicium inde non oboriretur. Attamen, informationis complementariae gratia, statum quaestionis et praecipua solutionis conamina indicasse juvabit.

In praesenti textuum statu, irreductibilem synopticos inter et quartum evangeliam antinomismum intercedere, communi ferme exegetarum consensu constat. Quam conclusionem criticam, iisdem prope argumentis apud F. Spitta (1), auctorem rationalistam, et apud Th. Calmes (2), exegetam catholicum, stabilitam reperies. Demonstrationis lineamenta, supra jam adumbrata, hic denuo indicamus.

Synoptici coenam eucharisticam ad 14^{am} Nisan referunt : en ipsorum testimonia parallela :

Matt. XXVI, 17.	Marc. XIV, 12.	Luc. XXII, 7.
Τῇ δὲ πρώτῃ τῶν ἀζύμων προσῆλθον οἱ μαθηταὶ τῷ Ἰησοῦ λέγοντες· ποῦ θέλεις ἑτοιμάσωμεν σοι φαγεῖν τὸ πάσχα;	Καὶ τῇ πρώτῃ ἡμέρᾳ τῶν ἀζύμων, ὅτε πάσχα ἔθυον, λέγουσιν αὐτῷ οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ · ποῦ θέλεις ἀπελθόντες ἑτοιμάσωμεν ἵνα φάγῃς τὸ πάσχα;	Ἦλθεν δὲ ἡ ἡμέρα τῶν ἀζύμων, ἐν ᾗ ἔδει θύεσθαι τὸ πάσχα, καὶ ἀπέστειλεν Πέτρον καὶ Ἰωάννην εἰπών · προευθέντες ἑτοιμάσατε ἡμῖν τὸ πάσχα, ἵνα φάγωμεν.

Ipso itaque die 14° Nisan omni claritate desiderabili deter-

(1) *O. c.*, p. 212 sq.

(2) *L'Evangile selon saint Jean*, p. 364 sq. Paris, 1904. — Utiliter conferri possunt K. G. Goetz, *o. c.*, p. 124 sq.; R. Schaefer, *o. c.*, p. 53 sq.; Joh. Weiss, *Das älteste Evangelium*, p. 287 sq. Göttingen, 1903; H. Zimmermann, *Der historische Wert der ältesten Ueberlieferung von der Geschichte Jesu im Marcusevangelium*, p. 185 sq. Leipzig, 1905.

minato (primo die azymorum, Matth., die ubi pascha immolabatur, Marc., die qua oportet immolare pascha, Luc.), Synoptici ultimam coenam celebratam referunt. Jamvero quartum evangelium ipsam Domini mortem ad 14^am^ Nisan referre, evidentia aeque ineluctabili conficitur : 1° ex cap. XVIII, 28 : ipso Christi exitus die, Judaei praetorium Pilati, manducandi paschatis causa ἵνα φάγωσιν τὸ πάσχα, ingredi renuunt; 2° evangelista explicitis verbis et repetitis vicibus Jesu crucifixionem cum paschatis praeparatione coincidisse declarat : ἦν δὲ παρασκευὴ τοῦ πάσχα (XIX, v. 14) ἐπεὶ παρασκευὴ ἦν (v. 31), διὰ τὴν παρασκευὴν τῶν Ἰουδαίων (v. 42); 3° sabbatum mortem Domini immediate subsequens, ut dies festiva id est 15^a^ Nisan describitur : XIX, 31 ἦν γὰρ μεγάλη ἡ ἡμέρα ἐκείνου τοῦ σαββάτου; 4° tandem XIII, 29 discipuli Judam ad emenda quae ad festum εἰς τὴν ἑορτήν h. e. ad legalem coenae celebrationem necessaria erant, e coena egressum censuisse dicuntur.

Quibus ex capitibus irreductibilem in hodierno textuum statu antinomismum inter fontes demonstrari, apud criticos satis constat. Ab ipsis autem si quaesieris, utrilibet chronologiae assentiendum sit, joannicam plures designant, suaeque praeferentiae haec motiva assignant : 1° dum chronologia quarti evangelii, pluribus in locis concordanter asserta, claritate fulget, synoptici sibimetipsis contradicunt : in quibus enim judicium, mortem et sepulturam Christi enarrant, cum quarto evangelio jam concordes loquuntur : *a)* nulla illegalitate vel insinuata, processum judiciarium, damnationem et crucifixionem Domini simpliciter referunt : jam autem talia cum festo 15^ae^ Nisan quadrare nequeunt : sic Act. Apost. XII, 1-4 refertur Herodem, causae s. Petri instructionem, festi paschalis solemnitate prohibitam, in posterius tempus distulisse; *b)* Simon Cyrenaeus bajulanti sibi crucem Jesu, dum ex agro rediret, occurrisse dicitur : quam evangeliorum indicationem, sive de labore in agro sive de itinere ruri habito intellexeris, si in 15^am^ Nisan coincidat, pro judaeo qualis erat Simon, legis violationem secum ferret. Quod et de sindonis emptione a Joseph ab Arimathaea in sepulturam facta, necnon de emptione odoramentorum, quae mulieres piae sibi procurarunt (Luc. XXIII, 56) dictum sonet. *c)* Marc. XV,

42 explicandae properationi quacum Joseph ab Arimathaea Christi corpus sepelivisse dicitur, hanc rationem — quam et Lucas reproducit XXIII, 54 — assignat ἐπεὶ ἦν παρασκευή, ὅ ἐστιν προσάββατον.

2° Posterior traditio chronologiam joannicam egregium in modum confirmat : evangelium Petri apocryphum et Acta Pilati eamdem supponunt aut etiam exhibent; ex controversiis paschalibus, quae saec. II exarserunt, juxta Chronicon paschale restitutis (1), praecipuos traditionis testes ut Apollinarem, Clementem Alexandrinum et s. Hippolytum chronologiam joannicam comprobasse elucet.

3° Adde tandem defectibilitatem argumenti quo eamdem chronologiam ex tendentia doctrinali enatam esse, stabilire studuerunt. Si synopticorum chronologiae fautoribus credamus, Joannes Christum ut agni paschalis antetypum consideravit : sic in modo quo crucifixio et mortis certioratio contigerunt, prophetiam dicentem « os non comminuetis ex eo » impletam videt, XIX, 36. Hinc, majoris similitudinis Christum inter et agnum paschalem inducendae gratia, utriusque oblationem ut chronologice coincidentem posuerit, et ideo mortem Domini in 14^{am} Nisan transtulerit. — Verum quum etiam citra chronologicam oblationis coincidentiam, agnus paschalis aeque bene ut typus Christi describi potuerit, adductum argumentum thesi demonstrandae impar videtur. Insuper, teste Goetz (2), allegatus ex quarto evangelio locus XIX, 36 ceremoniale paschatis non respiceret, sed ad Psalmi XXXIV, 21 verba : φυλάσσει πάντα τὰ ὀστᾶ αὐτῶν, ἓν ἐξ αὐτῶν οὐ συντριβήσεται, alluderet.

*
* *

At quidquid sit de expositi systematis veritate absoluta, ex eodem Christum coenam paschalem non celebrasse, nullatenus consequitur (3) : unice erui potest eamdem celebrationem per

(1) Migne, P. G., t. XCII, p. 80 sq.
(2) *O. c.*, p. 127 sq.
(3) Ex adductis considerationibus, haec sola quae Jo. XIII, 29 innititur, difficultatem facere nata videtur. Verum quominus expressio hoc

anticipationem contigisse. De cujus anticipationis possibilitate, quam quidam critici ut Haupt (1), K. Schaefer (2) in dubium revocant, verbulum addendum superest. Et ne inani logomachiae immoremur, duplicem quaestionem statim distinguere juvat : 1° potuitne Jesus juxta rituale judaicum hanc anticipationem facere, adeo ut ex auctoritatis judicio coena sumpta 13ª Nisan anni quo Salvator demortuus est, legalis dicenda sit; 2° potuitne ipse, illa omnia quae ad legalem paschatis celebrationem requiruntur, sibi procurare adeoque sumere coenam quae quoad naturam ciborum et potuum, sicut quoad ordinem et tenorem ceremoniarum vere paschalis sit, etsi forsan cum chronologia legaliter determinata non quadret? Porro de sola hac posteriori quaestione, inspecto nostrae inquisitionis fine (3), solliciti simus oportet : si enim affirmativam responsionem firmemus, eo ipso sufficienter stabilitum erit tendentiosam apud evangelistas historiae retractationem non prostare, et quae coenam eucharisticam proprie dictam spectant in paschali coena realem habere contextum ex quo interpretationem accipiant. Imo hac in hypothesi fontium antinomismus etsi non tollatur, attamen qua ratione ortus sit intelligetur.

Jamvero nulla apparet ratio hac in re dissentiendi ab opinione Chwolson, juxta quem agni paschales in templo inde a 13ª Nisan conquiri potuerunt, propterea quod pars diei 14ªᵉ Nisan, anno

loco usurpata ἡ ἑορτή (τοῦ πάσχα) magnam diem festivam id est 15ªᵐ Nisan designet, nihil obstat. Cfr. JOH. BELSER, *o. c.*, pp. 131, 140, 149.

(1) *O. c.*, p. 21.

(2) *O. c.*, p. 89 sq.

(3) Nostrae inquisitioni impertinens est quaestio possitne dici legalis coena paschalis Domini anticipata. Spectata auctoritate Domini sabbati, certe poterat hac in materia sicut et in omnibus positivis legislatio mutari. At quaestio est utrum in adjunctis concretis quae supponuntur, etiam Judaei judicassent legalem esse anticipationem, seu utrum anno quo demortuus est Jesus, agni mactati in templo 13ª Nisan eadem die jam possent legaliter manducari. Porro ad hanc quaestionem dum CHWOLSON affirmat *o. c.*, p. 13 sq., ZAHN, *Einleitung in das Neue Testament*, II, p. 523, BERNING, *o. c.*, p. 220, nota 8ª; GOETZ, *o. c.*, p. 128; SPITTA, *o. c.*, p. 115 sq. negant. Revera ex neutra parte, solida argumenta in medium afferuntur.

mortis Domini minuta ob caracterem festivum diei subsequentis, interfectioni omnium agnorum paschalium non sufficeret. Haec enim in se valde rationabilia sunt (1) et simul explicant facilitatem quacum Jesus invenit coenaculum in quo coenam paschalem manducaret. At accidentalis haec anticipationis occasio ex memoria hagiographorum vel etiam communitatis primitivae deciderit, et quidem eo facilius quod circa chronologiam nullatenus solliciti appareant. Hinc ex convictione et cognitione historica qua Dominum pascha manducasse sciebant, obvie hanc manducationem in diem solemnem nempe 14^{am} Nisan transtulerint. Et haec est ardui nostri problematis solutio, quae prae ceteris se commendare videtur.

* * *

Ex distinctione quam tuiti sumus, objectionem quae contra paschalem coenae caracterem, ex chronologia deduci solita est, sufficienter exclusam censemus. In favorem tamen lectoris har-

(1) Tempus agnorum paschalium mactationi legaliter statutum Exod. XXII, 6, Levit. XXIII, 5, Numer IX, 3 etc. sic exprimitur בין הערבים = ad vesperam. Quam indicationem Chwolson, *o. c.*, p. 48 reducit ad spatium 1 1/5 vel 1 1/2 horarum; alii vero ad spatium 2 horarum. Conquiri nunc ulterius potest, quantus fuerit tempore neo-testamentario numerus agnorum urbi Jerusalem ad ceremonias paschales necessariorum. In Talmude traditur, in computo ex indicto regis Agrippae facto repertos esse 1,200,000 agnos. At talem numerum non esse citra manifestam exaggerationem traditum, inter historiographos constat. Flavius Josephus autem tradit numerum 265.000 agnorum, anno 65 post Christum in templo mactatorum. Sed Josephum non esse historiographum primi valoris, sed in pluribus ab exaggeratione non refugere certum est. Suspicatur Berning, *o. c.*, p. 221 antiquitatum hebraicarum auctorem ideo exaggerasse, quod intenderet numerosum et potentem exhibere populum Israel, quo potentior evaderet Titus, tanti populi victor. — Si consideretur unum coenae paschali participantium conventum circiter 10 habuisse membra, ab una parte; ab altera, Jerusalem incolas tempore Christi fuisse 200,000 aut 250,000, reperitur 20,000 aut 25,000 agnos paschales fuisse necessarios. Porro intra spatium 1 1/2 horarum tantam copiam mactari vix videtur possibile. Quapropter sententia Chwolson in se considerata, valde rationabilis apparet.

monisticae cupidi, praecipua conciliationis inter fontes inducendae conamina, currente calamo recensere juvat. Triplex praecipua methodus adhibita reperitur : prima chronologicas a Joanne ab una parte, a synopticis ab altera, indicationes traditas, ad diversas coenas referendas esse propugnat; secunda synopticos ad Joannem trahere nititur; tertia quartum evangelium ut cum synopticis loquatur, sollicitat.

1. R. Schaefer (1) theseos, Joannem XIII, 1 sq. non loqui de eadem, de qua synoptici coena, adeoque non esse cur de conciliandis fontibus cogitemus, auctor videtur. Quam sententiam firmaturus, hunc in modum procedit : expressione φαγεῖν τὸ πάσχα, ut E. Schürer apodictice stabilivit, nonnisi coenae paschalis manducatio, et quidem modo legali id est 14ª Nisan habita, praemonstrari potest; ab altera parte, Joannes XVIII, 28 Judaeos, momento quo Christus condemnatus est, pascha nondum manducasse, explicite testatur. Quapropter, ne sibimetipsi Joannes contradicere dicatur, consequitur δεῖπνον, de quo XIII, 2 non esse paschale, sed ordinarium : quod, qua chronologica distantia a coena eucharistica separetur, ex generali expressione πρὸ τῆς ἑορτῆς τοῦ πάσχα quum determinari nequeat, ex contexta oratione inquiratur oportet. — Dicta autem sententia omnes difficultates non solvi, ipse Schaefer fatetur.

2. Qui synopticos ad Joannem trahere student, integram difficultatem locutioni Matth. XXVI, 17 = Marc. XIV, 12 = Luc. XXII, 7, qua discipuli pascha τῇ πρώτῃ τῶν ἀζύμων praeparasse asseruntur, inhaerere rati, necnon ob litterariam, qua synoptici inter se colligantur, dependentiam, difficultatem pro uno synoptico adinventam ad alios extendi posse propugnantes, in hodierno evangeliorum textu sive copistae sive traductoris mendum prostare, adeoque problema, juxta textum primitivum, sive aramaicum, sive hebraicum, prius restituendum, solvendum esse proclamarunt. Quae assertio ne gratuita et arbitraria appareret, animadverterunt expressionem semiticam, quam Matth. XXVI, 17 verbis : ἡ πρώτη τῶν ἀζύμων vertit, semper 15am Nisan designare, ad indicandum autem

(1) *O. c.*, p. 109 sq.

14^{am}, expressionem ערב פסח (= vespere paschae) adhiberi solitam esse. Quo posito, nisi ipse Matthaeus turpiter sibi contradicere asseratur, textus mendum admittendum, statim infertur.

1° D. Chwolson, a judaismo ad christianismum conversus, dictum problema duarum monographiarum (1) a se in lucem editarum objectum constituit. In priori opere, eruditus exegeta, vocem « accedere » in primitivo textu bis comparuisse, suspicatus est : copista autem aliquis eamdem nonnisi semel reproduxerit, sicque inducta relatione chronologica indebita, textum corruperit. Versio graeca exacta, hunc prae se ferre debuisset tenorem : ἡ ἡμέρα ἡ πρώτη τῶν ἀζύμων ἤγγισεν καὶ ἤγγισαν οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ τῷ Ἰησοῦ καὶ ἔλεγον κ. τ. λ. Quam solutionem Th. Calmes (2) recenter suam fecit et hunc in modum exposuit : « Voici comment la chose a pu se produire : on devait lire d'après l'araméen : prima dies azymorum *accedebat* et *accesserunt* discipuli ejus ad Jesum... Les verbes que nous soulignons étaient écrits קרבוקרבו. Si l'on rattache le ו du milieu au premier mot, on a קרבו deux fois répété, et pour éviter cette répétition oiseuse (?), on ne le traduira qu'une fois et l'on aura simplement : le premier jour des azymes les apôtres s'approchèrent, ce qui répond à la leçon actuelle de Matthieu : τῇ δὲ πρώτῃ τῶν ἀζύμων προσῆλθον οἱ μαθηταὶ... Pour rendre fidèlement le texte araméen tel que nous le supposons, il aurait fallu traduire ἡ ἡμέρα ἡ πρώτη τῶν ἀζύμων ἤγγισεν (ou ἐγγὺς ἦν, comp. Jo. XI, 55) καὶ ἤγγισαν οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ κ. τ. λ., en rattachant le ו intermédiaire au second mot et en lisant קרב וקרבו. De toutes les explications proposées pour résoudre la

(1) Chwolson quaestionem acute examinavit prius in *Mémoires de l'Académie impériale des sciences de St-Pétersbourg*, t. XLI (1892), n. 1, sub titulo : *Das letzte Passahmahl Christi und der Tag seines Todes nach den in Uebereinstimmung gebrachten Berichten der Synoptikern und des Evangeliums Johannis*, dein in articulo : *Ueber das Datum in Evangelium Matthaei* (XXVI, 17) τῇ δὲ πρώτῃ τῶν ἀζύμων, vulgato in *Monatschrift für Geschichte und Wissenschaft des Judenthums*, t. XXXVII (1893). Neue Folge I, pp. 537-555.

(2) *L'évangile selon saint Jean*, p. 370 sq. Paris et Rome, 1904.

question contenue dans le texte de Matthieu, celle-là nous paraît être la plus simple. »

2° Chwolsen hanc alteram restitutionem textualem proposuit : ביומא מקמא פטיריא (= in diebus panum azymorum) : hic primitivus evangelii aramaici tenor fuerit. At littera מ ex secunda voce deciderit, et littera ד a traductore in tertia addita fuerit, sicque enata haec altera expressio : ביומא קמא דפטיריא, quam traductor graecus hisce verbis τῇ πρώτῃ τῶν ἀζύμων reddidit. Cui restitutioni vicina est, haec alia professoris D. Kaufmann censentis primitivam lectionem ומקמי דפסחא quasi sic se habuisset ובקמא דפסחא intellectam esse.

3° Tandem A. Resch (1), ratus et ipse fontium antinomismum ex versionis mendo originem sumpsisse, necnon synopticorum fontem hebraica, non aramaica, lingua fuisse exaratum, primitivum textum adinvenire sategit. Cui si credamus, genuinus tenor sic sonaverit קדם חג המצות et πρὸ δὲ τῆς ἑορτῆς τῶν ἀζύμων verti deberet : quae est praecise Joannis XIII, 1 versio. Quum autem voci קדם duplex competat sensus (= 1° *ante* : sic apud Job VIII, 22 et in lingua hebraica postcanonica sat frequenter; 2° *primum seriei*), traductor hoc altero sensu erronee eamdem intellexerit, et consequenter textum verbis τῇ πρώτῃ τῶν ἀζύμων reddiderit. Quam suam solutionem A. Resch confirmare studet, notando similes vocis קדם interpretationes inexactas in versione septuagintavirali haud raro occurrere : sic Job. XXIII, 8 allata vox perperam redditur πρῶτος, item Symmachus Gen. II, 8 מקדם erronee vertit ἐκ πρώτης, etc.

3. Denique variae dantur viae quibus quartum evangelium ut synopticis consentiat sollicitarunt.

1° Joh. Belser (2) verba ἡ ἑορτὴ τοῦ πάσχα majorem festivitatis paschalis diem festivam, id est 15^{am} Nisan, indicare propugnans, consequenter expressionem Jo. XIII, 1 πρὸ τῆς ἑορτῆς τοῦ πάσχα de 14^{a} audiendam statuit. Cujus assertionis justificationem, in

(1) *Aussercanonische Paralleltexte zu den Evangelien*, II, p. 617 sq. Leipzig, 1895. — In *Revue biblique*, V (1896), p. 281. P. Lagrange asserit sententiam A. Resch solida gaudere probabilitate.

(2) *O. c.*, p. 148 sq.

speciali quarti evangelii vocabulario, quo τὸ πάσχα seu τὸ πάσχα τῶν Ἰουδαίων = octiduana festivitas (II, 13; XI, 55; XII, 1; XVIII, 28; XIX, 14) ab ἑορτὴ τοῦ πάσχα quae coincidit in 15am Nisan distingui solet, repositam vult. Festum paschale κατ' ἐξοχήν diei 15ae Nisan, juxta Numer. XXVIII, 16 tum a paschatis praeparatione diei 14ae, tum ab ultimis diebus festivis a 16a usque 21am Nisan, distingueretur. Quo posito, doctus exegeta ulterius notat computum ordinarium, quo dies a media nocte incipere ponitur, non vero a vespera diei praecedentis inchoare censetur, a quarto evangelio observari : cujus computi XIX, 14, necnon XIII, 29, exempla affert. In posteriori enim loco testatur evangelista discipulos Judae e coena exeunti, quae ad festum 15ae necessaria erant emendi intentionem adscripsisse. Jamautem si Judae egressus ad horam nonam vespertinam 13ae Nisan reponatur, discipulorum suppositio absona fit : tali quippe emptioni, quae ipso die festo vitabatur sinon et vetabatur, integra dies 14a superfuisset : eamdem itaque ad 14ae vesperam reponamus oportet. Tandem idem auctor, adjutorii, quod Simon Cyrenaeus Jesu bajulanti sibi crucem praebuisse dicitur, rationem reddere aggreditur : Simonem ob ejusdem ejusque filiorum Rufi et Alexandri nomina graeca (Marc. XV, 21, Rom. XVI, 23), gentilem non judaeum fuisse ratus, Synopticorum Matth. XXVII, 32, Marc. XV, 21, Luc. XXIII, 26 notitiam facili negotio explicat. Ulterius post van Bebber observat, crucifixioni ante meridiem 15ae decretae, executioni mandandae cruciferum vicarium defuisse : quapropter milites, ex synedrii consensu, Simonem gentilem ex agro reducem angariaverint.

2° Denique W. Berning (1) expressionem joannicam πρὸ τῆς ἑορτῆς τοῦ πάσχα, neque ad ἀγαπήσας ut ponunt Wieseler et Belser, neque ad ἐγείρεται, ut Godet et H. J. Holtzmann, sed ad εἰδώς et ἠγάπησεν referri inspiciens, eamdem hunc in modum interpretatur : ante festum, non die festo, quum Jesus, non ex ultimis eventibus sed antecedenter ad illos sibi post coenam moriendum esse noverit... hac sua scientia praelucente, suos in finem dilexit. Tali autem interpretatione, quam et Th. Zahn (2)

(1) *O. c.*, p. 218 sq.
(2) *Einleitung in das Neue Testament*, II, p. 519². Leipzig. 1900.

proposuit, difficultatem solvi autumat : simul tamen anticipationis hypothesim non excludit.

*
* *

Sunt et alia solutionis conamina, longius quaesita et undequaque gratuita, quorum descriptionem inutilem reputamus. Nobis quidem sufficiat demonstrasse recentiorem criticam synopticorum assertionem, Jesum pridie suae mortis coenam manducasse paschalem, ut huic festo, in memoriam liberationis Israelis ex servitute Aegypti et foederis sinaitici tempore neotestamentario celebrato, novum cum novo foedere cohaerens festum institueret, non evertisse (1). Quam manducationem per

(1) P. BATIFFOL, *L'Eucharistie dans le Nouveau Testament,* in *Bulletin de littérature ecclésiastique,* 1904, p. 298 sq., distinctione inducta inter paschatis praeparationem ejusque manducationem, tuetur sententiam Dominum 13ª Nisan non coenam paschalem jam praeparatam, sed ejus loco Kiddusch, id est coenam familiarem, pridie solemniorum festivitatum celebrari solitam, sumpsisse. Ex pulcherrimo docti exegetae studio, ad quod lectorem remittimus, has paucas lineas excerpimus : « La (cette) contradiction de saint Jean et des Synoptiques est un des problèmes classiques de l'exégèse ancienne et moderne. Des nombreuses combinaisons qui ont été élaborées pour résoudre cette contradiction, celle qui dénie à la cène tout caractère pascal nous semble, à mesure que nous y réfléchissons davantage, la plus vraisemblable. Mais elle ne va pas sans une interprétation un peu violente des Synoptiques. Tout d'abord, il convient de distinguer deux sections dans le récit des Synoptiques : la préparation de la cène, puis la cène elle-même... La pâque ayant été célébrée le vendredi 14 Nisan au soir, Jésus aurait célébré la cène le jeudi 13 Nisan au soir. La durée comprise entre le soir du 13 et le soir du 14 constituait le jour de la préparation de la pâque παρασκευή, comme dit saint Jean. Ce jour là, on ne pouvait que *préparer* la pâque... La cène telle que Jésus l'a célébrée le jeudi soir 13 Nisan, serait donc le repas de la veille de la pâque, non la pâque proprement. Or, nous savons que les Juifs célébraient chaque veille de sabbat, une brève cérémonie familiale. qu'ils appelaient le Kiddusch... Toutefois alors même qu'on ne donnerait pas à la cène le sens d'un Kiddusch, on pourrait toujours retenir l'hypothèse, fondée sur le quatrième évangile, que le soir de la cène est le soir du Kiddusch, et non le soir de la pâque. On entendrait donc d'un Kiddusch tout ce que saint Matthieu et saint Marc rapportent de la préparation de la

anticipationem esse factam eidem assertioni non tantum non contrariat, sed egregiam affert confirmationem monstrando relationem qua coena eucharistica paschati historice colligatur, a parte Domini esse intentionalem.

B. De morte sacrificali Domini ceu novae oeconomiae fundamento religioso.

Sicut paschati coenam eucharisticam, ita antiquo foederi novam succedere oeconomiam, fontes nostri indicant. Quod quo jure dicatur, quaestio est nostrae inquisitioni essentialis et ex professo hic disputanda, eo fine ut appareat : 1° fundaveritne Christus novam oeconomiam, et 2° quatenus affirmative, quanam relatione eadem morti Domini colligetur.

Methodi servandae gratia, statum quaestionis vulgatasque exegetarum circa valorem coenae institutionalem sententias, brevi compendio complectamur oportet. Post consummatam coenam paschalem, Jesus sub pane et vino corpus suum et sanguinem assignat; dum autem calicem discipulis suis bibendum porrigit, affirmat sanguinem suum esse sanguinem testamen-

cène. Les disciples peuvent dire à Jésus : où voulez-vous que nous vous préparions à manger la pâque? Jésus peut leur prescrire de dire au maître du logis : où est la salle où je mange la pâque avec mes disciples? Et l'évangéliste peut écrire des disciples : ils préparèrent la pâque. En réalité, si la pâque fut préparée, on n'en aurait célébré le jeudi soir que l'ouverture, le Kiddusch. Et le vendredi soir, le maître du logis ne revit personne. » — Docti Tolusani Rectoris sententiae quominus subscribamus, sequentes considerationes nos praepediunt : 1° evangelistae explicitis verbis coenam ultimam tamquam paschalem praeparatam esse referunt : quo posito, ubi nulla speciali indicatione tradita, coenam praeparatam celebratam esse testantur, pascha manducatum esse, manifeste supponunt. 2° Insuper Luc. XXII, 15 paschatis celebrationem Christo manifeste vindicat, XXII, 15 « desiderio desideravi hoc pascha manducare vobiscum antequam patior » Agiturne in his de paschate praeparato quidem, at non manducando? 3° Tota quaestionis difficultas circa respectivam quarti evangelii et synopticorum chronologiam, ab una parte, et circa difficultatem qua detinemur, explicandi qua ratione apostoli agnum paschalem etc. 13ª Nisan, sibi procurare potuerint, ab altera, versatur. Porro impugnata sententia neutram hanc difficultatem solvit et alias gratuito introducit.

tarium, id est, qui pro multis offertur et ideo ratione valoris sui religiosi relationes quibus Deo homines devinciuntur regulat. Porro haec conceptio traditioni petrinae sicut et paulinae communis est. Verum novi foederis institutio sub diverso tenore utrinque expressa legitur : apud Paulum quippe I Cor. XI, 25 = Luc. XXII, 20[b] exprimitur sub hac formula : τοῦτο τὸ ποτήριον ἡ καινὴ διαθήκη ἐν τῷ αἵματί μου; Marcus vero XIV, 24 = Matth. XXVI, 28 legunt : τοῦτό ἐστιν τὸ αἷμά μου τῆς διαθήκης, τὸ ἐκχυννόμενον ὑπὲρ πολλῶν. Insuper in sola traditione paulina, mandatum a Christo apostolis commissum, actum a se positum, conformiter ad caracterem suum institutionalem repetendi : τοῦτο ποιεῖτε εἰς τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν, servatum prostat.

Fontium tenorem sic se habentem ut interpretemur, longiori commentario opus non est : omni quippe claritate desiderabili asserit Dominus corpus suum et sanguinem in salutem aliorum dari, adeoque ipsis rationem sacrificii competere subindicat; propter idem sacrificium novum a Deo cum hominibus foedus iniri simul indigitat, tandem actum a se positum in futuro ab apostolis suis esse repetendum, asseverat. At qui a tali conceptione refugiunt exegetae, eamdem impugnare totis viribus allaborant, contendentes nullam a Christo institutionem esse fundatam, nullaque ratione Jesum morti suae valorem sacrificii aut vim redemptricem proprie dictam vindicasse.

Duplex est ipsorum methodus qua a genuina Christi mente, novi foederis, quod antiquo succedat, institutionem removeant : dum enim alii interpretationem traditam simpliciter agnoscunt, ipsos vero textus, juxta posterioris aetatis doctrinam elaboratos et modificatos esse propugnant, alii eosdem textus, quibus authentiam saltem relativam tribuunt, enervare et extra commentarii nostri tramitem trahere student.

I. Priori methodo usi deprehenduntur rationalistae biblici ut Paulus, Strauss et Baur, quibus recenter accesserunt O. Pfleiderer (1), Weissäcker (2), Eichorn (3) et Spitta (4), et recentis-

(1) *Das Urchristentum, seine schriften und Lehren in geschichtlichen Zusammenhang beschrieben*, I, p. 680², Berlin, 1902.
(2) Cfr. Goetz, *O. c.*, p. 147 sq.
(3) *O. c.*, p. 17 sq.
(4) *O. c.*, p. 267 sq.

sime Wrede (1), G. Hollmann (2) et Goetz (3) : textualis enim et internae criticae nomine, mandatum institutionis τοῦτο ποιεῖτε κ. τ. λ. vel verba τῆς διαθήκης, vel utrumque simul tamquam recentiorem et spurium foetum a Christo abjudicant.

Et imprimis institutionis praeceptum spurium esse ut conficiant, hunc in modum arguunt : traditio petrina magis ac paulina primitiva est; porro institutionis mandatum in ea desideratur; hujusque absentiae nulla ratio assignari potest alia, praeter ipsam dicti mandati inauthentiam; ergo, recentiori aetati est adscribendum. Ceterum haec origo posterior, nullam mirationem movere potest. Primitivae enim communitati novas quas sub circumstantium influxu adinvenit doctrinas et institutiones, in ipsum Christum referre, morem fuisse, neminem latet : exemplo sit Ecclesiae fundatio : quae quum post Christi mortem in forma societatis constituta fuerit, Matthaeus tamen XVI, 18 institutionis promissionem ipsi Christo adscribere non dubitavit. Nonne et Judaei idem fecisse reperiuntur, quotquot ad exsilium babylonicum usque institutiones doctrinales enatae fuerant, in Moysen transferendo, ipsique Pentateuchi conscriptionem tribuendo? Mandati itaque institutionis coenae eucharisticae authentia realis, penitus exclusa dicenda est.

Sed et verba Domini quae « testamentum » spectant, recentiori interpolationi adscribere, conati sunt. Gravissimam imo insuperabilem, contra verborum τῆς διαθήκης genuinitatem, difficultatem grammaticalem et textualem adinvenisse se putavit Wrede, quem probantes G. Hollmann, Joh. Weiss (4) et Goetz secuti sunt. Argumenti ab ipsis invocati tenorem et structuram hic referre, operae videtur pretium. « Plurium criticorum opinioni, scribit Wrede, juxta quam vox διαθήκη indubia gauderet authentia, propterea quod in omnibus hagiographorum narrationibus tradatur, ad modum fundamenti subest canon ille,

(1) Τὸ αἷμά μου τῆς διαθήκης in *Zeitschrift für neutestamentliche Wissenschaft* I (1900), p. 69-74.

(2) *O. c.*, p. 145 sq.

(3) *O. c.*, p. 147 sq.

(4) *Das älteste Evangelium*, p. 297 sq. Göttingen, 1903.

authentica Christi verba per deductionem seu remotionem verborum quae minus attestationis habent, restitui posse. Porro talem canonem rerum cortici inhaerere et in casu fallere, conficiunt : 1° ipsa expressionis τὸ αἷμά μου τῆς διαθήκης, apud Marc. XIV, 24 et Matth. XXVI, 28 occurrentis, grammaticalis forma. Tali quippe structurae, in qua duo genitivi ab uno eodemque vocabulo αἷμα dependere apparent, grammaticalis durities inest maxima adeo ut merito dubitari queat sitne possibile eamdem hebraico idiomate retrovertere. Et revera in novo testamento hebraico, quod curavit Delitsch, textus vertitur ac si hunc prae se ferret tenorem : τὸ αἷμά μου, τὸ αἷμα τῆς διαθήκης. Etiam in aramaicam linguam restitutus, textus etsi possibilis, iisdem ac tenor graecus, defectibus, probabilius laboraret. Quam notatam duritiem eo majorem videmus, quod ambo genitivi substantivum hic subsequantur, cujus phenomeni si peritis ut Buttmann et Blass credamus, in profana etiam litteratura vix unum exemplum reperitur.

2° Addatur et animadversio haec, duplicem duplici genitivo correspondere ideam, omnino diversam et quarum juxtaposito utramque debilitat. Ab una parte asseritur vinum esse sanguinem Christi (μοῦ), ab altera, hunc sanguinem esse testamenti fundamentum. Accentus posteriori sententiae inhaerere videtur; at quominus eadem praefulgeat, additio verborum τὸ ἐκχυννόμενον ὑπὲρ πολλῶν denuo obstat.

3° Exposita sententia per exigentias parallelismi, quo duo actus eucharistici inter se colligantur, ulterius roboratur : audita enim benedictionis super panem pronuntiatae formula τοῦτό ἐστιν τὸ σῶμά μου, verba τοῦτό ἐστιν τὸ αἷμά μου et haec sola, super calicem esse efferenda ab unoquoque exspectatur. Quibus declarativum participium aliquod adjungi tolerabile dicatur; novae autem et quidem principalioris ideae introductio, a symetriae et verisimilitudinis norma longe discedit.

4° Ex multiplici itaque capite, verba τῆς διαθήκης tamquam foetum spurium ex textu esse resecanda, suadetur. Nunc autem, si Wrede credamus, qua ratione eadem textum ingressa sint, etiam num probabili conjectura adinveniri potest. Juxta Exod. XXIV, 8, Moyses dum populum sanguine aspergit, sic

locutus traditur : ἰδοὺ τὸ αἷμα τῆς διαθήκης κ. τ. λ. Quae verba legentes, christianis verborum Christi τοῦτό ἐστιν τὸ αἷμά μου obvie memorati sunt, et vice-versa, horum recitatio textum Exodi in memoriam sponte revocavit. Quos duos textus inter se coaequantes vel unum juxta alterum complentes, sub influxu forsan Jeremiae XXXI, 32, formulae consecrationis calicis verba τῆς διαθήκης, quasi mechanice addiderunt.

Qui sequuntur Wrede critici, positiva ab ipso contra interpretationem traditionalem argumenta adducta sua faciunt; ipsam vero expressionis τὸ αἷμά μου τῆς διαθήκης originem via paululum diversa adinvenire satagunt. G. Hollmann (1) duas interpolationi hypotheses possibiles statuit : vel ipsa primitiva communitas connexionem mortis Christi cum foedere adinvenit — in antiquioribus enim christianorum coetibus mors Christi antiquum foedus firmare putabatur, et hinc absentia vocis καινῆς a foedere de quo in nostris fontibus sermo fit, explicanda esset —, vel circulus paulinus verba τῆς διαθήκης formulae super calicem prolatae copulavit. Quum autem duo tantum hagiographi caracterem testamentarium clare et instanter christianismo revindicent, hique sint Paulus, et paulino influxu imbutus, auctor epistolae ad Hebraeos, G. Hollmann posteriori hypothesi prae priori assentiendum esse propugnat.

Tandem K. G. Goetz (2) formulae τὸ αἷμά μου τῆς διαθήκης originem, methodo paululum radicaliori detegere nititur. Ratus formulam quam tradit auctor epistolae ad Hebraeos IX, 20, τοῦτο τὸ αἷμα τῆς διαθήκης ex versione Exod. XXIV, 8 septuagintavirali meliore enatam esse, ab una parte; ab altera, eamdem epistolam, etsi de sanguine expiatorio et redemptorio Jesu pluries agat, nusquam ad Marci aut Matthaei formulam attendisse, ex his legitime inferri censet, tempore quo eadem epistola exarata est, expressionem τῆς διαθήκης ad consecrationis calicis formulam nondum pertinuisse adeoque postea in eamdem interpolatam esse. Insuper, quia in tota litteratura canonica, solus epistolae dictae auctor de testamentario sanguine ex professo

(1) *O. c.*, p. 147 sq.
(2) *O. c.*, p. 139 sq.

loquitur, juxta mutuationem ex ipso factam, formulam consecrationis calicis completam esse, judicio Goetz, omnia suadent. Hucusque quidem de sententiis, quae integrum hagiographorum textum retractatum et posterioris temporis ideis ditatum, proclamant.

II. Alia autem est via illorum qui per subtiliorem textus interpretationem, conceptum soteriologicum novi testamenti, in morte Christi sacrificali et vicaria fundati, amovere student. Prior et magis famosa est sententia Fr. Spitta, quae serium in Germania successum obtinuit, quamque A. Harnack, in tertia suae dogmatum historiae editione, vix tuitus non est (1). Quam Spitta, sub eruditionis involucro acceptabilem ut redderet, hunc in modum processit : ex Marc. XIV, 25 et locis parallelis, sic ille, sicut et ex Luc. XXII, 30 indubie constat Christi coenam celebrantis mentem, de complendo suo regno totam praeoccupatam fuisse, et momento quo gloriosum regnum perficeret, quoque ipse, Messias gloriosus constitutus, discipulis suis scientiae et vitae divitias communicaret, sicut dona coenae, quam fidelibus Deus praeparat, delectanter inhaesisse. Quas cogitationes quum volveret, apostolis suis panem et vinum elargiens, sub pronuntiatione verborum : sumite, hoc est corpus meum; et, bibite ex hoc (calice) omnes : hic est sanguis meus testamenti pro multis effusus, Jesus indubie in situationem coenae messianicae se transfert : discipulos videt manducantes et bibentes ad mensam suam in regno glorioso, oblectantes se in donis quae ipse solus elargiri potest, id est in possessione ipsius Messiae.

Coena itaque eucharistica esset quasi anticipatio sive promissio coenae davidico-messianicae mox inaugurato regno glorioso, instituendae, et in qua dona specifice messianica, ipse nimirum Messias, sanctis tradentur. Interpretationem suam Spitta firmare aggreditur sequentibus ex capitibus : 1° ex coenae Domini typis propheticis, id est ex figurativis descriptionibus, quibus in litteratura judaica foedus messianicum praenuntiatur. Observandum enim est, foedus sinaiticum inter et testamentum

(1) Eidem solutioni multum favet etiam A. Schweitzer, *o. c.*, I, p. 60

de quo Christus loquitur, profundum intercedere discrimen, in eo situm quod dum Moysis verba sanguinem sacrificalem in terram effusum spectent, Christi circa διαθήκην assertio, ad vinum in calicem effusum et bibendum se referat. Quocirca, etsi in verbis eucharisticis allusio ad Exod. XXIV, 8 prostet, unum testamentum ex altero simpliciter determinari nequit; sed in propheticis vaticiniis, quae messianica tempora respiciunt et testamenti sinaitici finem praedicunt, voluntatis Christi cognitio et rituum ab ipso positorum intelligentia, inquirenda sunt. Porro foedus davidico-messianicum, quod sinaitico opponi solet, saepe saepius ut coena, ut convivium splendidum describitur, haecque descriptio totam populi Israelis litteraturam, ad tempus neo-testamentarium usque, pervadit. Obvia enim occurrit non tantum apud prophetas Is. LV, 3; XXV, 6-8; Ezech. XXIV; psalm. CXXXII, 15, sed et in litteratura apocalyptica et rabbinica, imo in ipsius Christi parabolis, puta in parabolis decem virginum, regis qui fecit nuptias filio suo, et in macharismis sermonis in monte. Cujus convivii naturam pressius indagare si conemur, panem et vinum inter escas, quarum delectatione sanctorum felicitas complebitur, primum locum sortiri, reperiemus; exemplo sit Luc. XIV, 15 : μακάριος ὅστις φάγεται ἄρτον ἐν τῇ βασιλείᾳ τοῦ Θεοῦ. Insuper de vino ut esca messianica, specialiter notandum obvenit, ipsum cum fructu vitis, qui in paradiso terrestri adfuisse putabatur, identificatum esse, ut Apoc. Baruch XIX, 5 sq. clare comprobat. Tandem ipse Messias — quod essentiale nostra in quaestione momentum habet — regni gloriosi esca putabatur : apud Philonem cum manna coelesti, in Apocalypsi Baruch cum vite identificatur; quae posterior identificatio in quarto etiam evangelio XV, 1, ubi Christus veram se esse vitem testatur ἡ ἄμπελος ἡ ἀληθινή, deprehenditur.

Aeram itaque eschatologicam, in qua ipse Messias manducetur, quaeque mosaico foederi succedat, a prophetis nuntiatam et a Judaeis exspectatam fuisse, extra dubium est. Jamvero — et haec est minor argumentationis a Spitta constructae — Christum momento coenae, ad descriptum convivium davidico-messianicum se mente transtulisse, ex litteratura canonica indubie

colligitur. Hanc enim psychologiam omni claritate desiderabili testatur logion apud Marc. XIV, 25 = Matth. XXVI, 29 servatum : non bibam amodo de hoc genimine vitis donec bibam illud novum in regno Patris mei. Apud Lucam idem logion coenae descriptionem introducit XXII, 16, 18, et simile eamdem subsequitur, v. 29 : et ego dispono vobis sicut disposuit mihi Pater meus regnum. Quem eschatologicum affectum reddunt etiam Paulus I Cor. XI, 26... mortem Domini annuntiabitis donec veniat ἄχρι οὗ ἔλθῃ, et Joannes, colloquium in quo Christus se veram dicit vitem, et mansiones in domo Patris apostolis pollicetur XIV, 2, immediate ad coenam referendo.

2° Quam interpretationem eschatologicam firmat etiam egregius parallelismus qui deprehenditur inter invitationem qua Christus panem et vinum tradidisse refertur λάβετε, φάγετε, πίετε ἐξ αὐτοῦ πάντες, et gentium ad coenam messianicam vocationem, quae apud prophetas reperitur : Is. LV, 1-3; Sir. XXIV, 18; quaeque denuo in Novo Testamento repetitur : Luc. XIV, 16 = Matth. XXII, 4; Matth. XI, 28 : venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis et ego reficiam vos. Ex his enim manifestum fit vocem πάντες quam servavit Matth. XXVI, 27, vocationis ad convivium eschatologicum universalismo, quem fontes nostri supponunt aut ponunt, adaequate correspondere.

Conclusio fluit : ex coenae Domini antecedentibus historicis, id est ex figurativis convivii eschatologici, cujus delicias ipse Messias, ut esca beatis traditus constituet, descriptionibus, ab una parte, exque manifesta Christi in coena circa regni sui gloriam et consummationem, ab altera, indubie consequitur testamentum, de quo hic sermo, cum foedere davidico-messianico identificari. Traditionalis itaque verborum Christi interpretatio, qua novi foederis, in sanguine Christi consecrati et Dei cum hominibus relationes regulantis, institutio, et praesentiae realis dogmatis revelatio, ex formulis consecrationis deducuntur, ab historica veritate longissime discedit.

Anno praeterito, Oscar Holtzmann (1) novam interpretationem

(1) *Das Abendmahl im Urchristentum*, in *Zeitschrift für neutestamentliche Wissenschaft*, V, p. 100 sq. Giessen, 1904.

defendendam assumpsit, qua testamenti mentio prorsus alio, ac defendimus nos, munere fungeretur. Opinatur enim doctus exegeta Jesum coenam suam ut antetypum testamenti quod in Sinai consecratum legitur Exod. XXIV, 8 ita perfecisse, ut in omnibus ferme ritibus intima connexio et adaequatus parallelismus inter utramque pactionem existat. Quapropter, sicut Moyses dimidiam sanguinis sacrificalis partem in terram sive in crateras effudisse traditur, Exod. XXIV, 6, ita et Christus, teste O. Holtzmann, calicem vini, sub pronuntiatione eorumdem ferme verborum, quibus Moyses usus est, in terram effudit. Inauditae hujusce opinionis, auctor sequentia suppeditat fundamenta critica : 1° Lucas in ore Domini reponit verba haec, de quorum litteraria authentia nonnulli immerito dubitant : τοῦτο τὸ ποτήριον ἡ καινὴ διαθήκη ἐν τῷ αἵματί μου, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυννόμενον. Jamvero in allata formula vox ἐκχυννόμενον non ad αἵματι sed ad ποτήριον indubie refertur, et ab altera parte vox ἐκχέειν audit effundere, nullatenus vero significat infundere, ut Spitta somniatur. Tempore itaque conscriptionis tertii evangelii, calicem effundendi consuetudinem superstitem videmus : haec ergo ab ipso Christo fundata dicenda est. 2° Quam consuetudinem nec ignorare nec penitus omittere potuit Paulus : quocirca, quum nullum ejusdem vestigium in I Cor. XI deprehendi queat, legitime infertur hujus documenti textum esse retractatum. Revera vox ὡσαύτως, qua hodiernus narrationis paulinae tenor, logion Christi calicem spectans introducit I Cor. XI, 25, authentica esse nequit : absone enim diceretur Dominum eosdem in calicem, quos in panem, ritus perfecisse, id est eumdem sumpsisse, benedixisse, *fregisse;* hujus loco vox ἐξέχεεν = effudit, primitus constiterit. At Ecclesia narrationem paulinam, consequenter ad suam praeoccupationem non amittendi vel unam sanguinis in calice contenti stillam, interpolaverit : quam praeoccupationem testatur Tertullianus (De corona militum, 3). 3° Imo apud Marcum et Matthaeum eadem calicem effundendi consuetudo supponitur : uterque enim hagiographus de sanguinis testamentarii effusione loquuntur : quum ergo talis effusio ipsa calicis sumptione non obtineatur, hunc modum loquendi vini in terram effusionem denotare, dicendum superest.

Quantum valeant descriptae interpretationes, critica methodo investigare aggredimur.

* * *

Pactum feriens cum Jahveh in monte Sinai, Moyses sic legitur locutus Exod. XXIV, 8 : ἰδοὺ τὸ αἷμα τῆς διαθήκης ἧς διέθετο κύριος πρός ὑμᾶς κ. τ. λ. Cum his verbis, consecrationis formula, quam super calicem Dominus pronuntiavit τοῦτό ἐστιν τὸ αἷμά μου τῆς διαθήκης τὸ ἐκχυννόμενον ὑπὲρ πολλῶν, indubie cohaeret. Sicut enim Moyses, quum dimidiam victimarum sanguinis partem alteram in crateras effunderet, alteram in populum respergeret, sacrificium Deo offerri (1) et populum Israelis foederis beneficiis participem fieri, symbolice exprimere intendit, ita et Christus coenae eucharisticae caracterem sacrificalem, separatis actibus suum corpus et sanguinem praesentia reddendo, exprimit (2), simulque sui sacrificii valorem soteriolo-

(1) Metaphysica enim popularis principium vitale sive *nephesch*, in sanguine praesens statuit (Levit. XVIII, 11).

(2) Quaestio de caractere sacrificali coenae eucharisticae, quoad plurimum inexactam solutionem nobis accipere videtur, tum ex parte criticorum, tum ex parte theologorum. Criticis si credamus, Domini coena nulla ratione sacrificium constitueret : ad summum admitti posset, in hypothesi authentiae verborum τὸ ὑπὲρ πολλῶν διδόμενον, ἐκχυννόμενον, a Jesu affirmari, corpus suum et sanguinem in cruce rationem sacrificii esse acceptura ; cfr. GOETZ, *o. c.*, p. 265 sq. Theologorum vero placitum est corpus et sanguinem Christi, formaliter ut in coena eucharistica fuerunt, dari et effundi in remissionem peccatorum adeoque sacrificium propitiatorium constituere, hocque clare indicare participia praesentialia διδόμενον, ἐκχυννόμενον. Ita BILLOT, *De Ecclesiae Sacramentis*, I, p. 564 sq. Romae, 1900. Theologis consentiunt JOH. BELSER, *o. c.*, p. 187 sq. HEHN, *o. c.*, p. 107 sq. W. BERNING, *o. c.*, p. 101 sq. 108, intermediam solutionem tuetur : censet enim apud Paulum ex professo non assignari valorem Eucharistiae sacrificalem, quum demonstrari nequeat authentia participii praesentialis, puta διδόμενον sive κλώμενον ; contra vero apud Synopticos. — Revera, res videtur sic habere : 1° Participia διδόμενον et ἐκχυννόμενον indicant modum oblationis qui in cruce realiter obtinuit, adeoque *directe* caracterem sacrificalem Eucharistiae non attestantur. Assertionis argumenta sunt 1° grammaticalis harum additionum tenor : vox enim ἐκχέειν de se notat effusionem : porro sanguinem Christi, ut formaliter in coena fuit, effusum esse, non

gicum assignat, adductis verbis τὸ ὑπὲρ (ὑμῶν sive) πολλῶν διδόμενον, ἐκχυννόμενον, necnon assertione, sanguinem suum

probatur, nec intelligitur. Quaenam enim effusio potuerit obtineri, non apparet. Sitne forsan sermo de fusione ex uno calice in alium vini, quod deìn consecratur? At in hoc casu — qui ceterum non quadrat cum rituali paschatis — ipse sanguis non effunditur. An forsan vox ἐκχυννόμενον adducta est praecise ad caracterem sacrificalem sanguinis, formaliter ut praesentis, indigitandum? At figuratus ille sermo, in coena esset aeque devius et conquisitus, ac si quis ad exprimendum sacrificium Missae, diceret per consecrationem (connotando vel non, communionem) *effundi* sanguinem Domini. Participium διδόμενον ut determinativum formulae consecrationis panis, adjicit solus Lucas : si supponatur primitivum, ob parallelismum cum formula consecrationis vini, intelligi debet de traditione corporis in mortem (juxta I, Timoth. II, 6 δοῦναι ἑαυτόν et Marc. X, 45). 2° Hagiographos rem modo quo diximus intellexisse, clarum videtur : *a*) traditionis paulinae documenta, ponunt sanguinem Christi effundi ὑπὲρ ὑμῶν id est per modum sacrificii expiatorii pro discipulis, *b*) apud Matth. XXVI, 28 sanguis dicitur effundi εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν. Jamvero dici non potest Dominum discipulis porrexisse sanguinem in remissionem peccatorum sumendum : ex Joanne enim XIII, 10 sq. eosdem haec dona coelestia mundo corde accepisse constat. — Subtiliorem quam solidiorem objectionem contra haec detexerunt Franzelin et Billot, quam sic proponunt. « ... occurrit forma calicis apud Lucam, quae ejusmodi interpretationem prorsus excludit. Sic enim legitur ad litteram : *Hic calix pro vobis fusus novum Testamentum est in meo sanguine.* Ergo illud quod effundi dicitur est calix, sumendo continens pro contento ; adeoque necesse est intelligere effusionem tamquam dictam de sanguine Christi reduplicative ut est in sacramento, nam licet in sacrificio crucis effusus sit ipse ille sanguis qui erat tunc in calice, non tamen dici potest quod in cruce effusus est calix, ut scite observat card. Franzelin : quippe quando contentum denominatur ex continente, accipitur cum habitudine ad continens, adeoque non suscipit praedicata quae cum dicta habitudine non conjunguntur ». At P. Billot mirum in modum sibi illudit, si cogitet versionem textus Lucani ob ipso traditam esse exactam. Textus reapse sic se habet τοῦτο τὸ ποτήριον ἡ καινὴ διαθήκη ἐν τῷ αἵματί μου τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυννόμενον ; quo de tenore quaeri potest sitne referendum participium praesentiale ad αἵματι an ad ποτήριον. De grammaticali quidem relatione constat; logica autem connexione idem participium colligari voci αἵματι, omnes ferme auctores consentiunt. O. Holtzmann qui, ut diximus grammaticalem connexionem asserit logicae consentire, inde — quum voci ἐκχέειν nonnisi sensum effusionis physicae agnoscat — ulterius infert

esse αἷμα τῆς διαθήκης. Parallelismus itaque inter utramque proclamationem non tantum residet in constitutione foederis, Deum inter et homines oblato sacrificio respective ratihabiti et fundati, sed ipsam utriusque formulam attingit, adeo ut merito coenam eucharisticam ceremonialis mosaici antetypum proclamemus.

Quibus ut insistamus ratio non esset, nisi narrationum canonicarum authentiam in dubium vocassent. Verum A. Andersen, ratus in praesenti textuum statu, catholicae interpretationi impugnandae aditum esse praeclusum, non dubitavit asserere, non tantum synopticos ex Pauli I Cor. XI esse interpolatos, sed et indicationem soteriologicam, quam habent verba τὸ ὑπὲρ ὑμῶν in documento paulino apparere intrusam. Cujus assertionis argumentum alterum in hoc collocat quod contendat apostolum sub vocabulo σῶμα I Cor. XI, 24 intellexisse corpus Christi mysticum, id est Ecclesiam : quo posito, ineptum fit determinativum illud τὸ ὑπὲρ ὑμῶν. Alteram considerationem ex Justino mutuatam, sic construit : apologeta christianus testatur panem eucharisticum offerri ex dispositione Domini εἰς ἀναμνῆσιν τοῦ σεσωματοποιῆσθαι αὐτὸν διὰ τοὺς πιστεύοντας εἰς

Jesum ad instar Moysis contentum calicis in terram effudisse. At haec imaginaria esse mox probabimus, monstrantes, tertium evangelistam symetriae inter duas consecrationis formulas procurandae causa, simpliciter ex Marco XIV, 24 determinativum illud τὸ ὑπὲρ πολλῶν (ὑμῶν) ἐκχυνόμενον, post formulam consecrationis calicis, quam a Paulo audierat, transtulisse. Sensus itaque formulae Lucanae indubie huc redit : hic calix est novum testamentum in meo sanguine pro vobis effuso. Quibus positis argumentatio Billot ut imbelle cadit telum, estque exacta forma Missae latinae : qui pro (vobis et) multis *effundetur*. 2° Caracterem tamen sacrificalem coenae eucharisticae plures considerationes a theologis non adductae indubium reddunt. Sint duae sequentes : 1° quemvis conatum, citra sacrificii indicationem explicandi terminos parallelos σῶμα et αἷμα esse prorsus vanum, fatetur ipse K. G. Goetz, *o. c.*, p. 365. Verum ubi idem auctor supponit formam primitivam sic se habuisse τοῦτό ἐστιν ἡ σάρξ μου καὶ τὸ αἷμα (p. 267) simpliciter aprioristice caracterem sacrificalem coenae eucharisticae excludit ; 2° expressio τοῦτο ἐστιν τὸ αἷμά μου τῆς διαθήκης, quam Dominus cum respectu ad Exod. XXIV, 8 protulit, manifeste ponit sanguinem reduplicative ut in sacramento esse testamentarium seu sacrificalem.

αὐτόν, necnon εἰς ἀνάμνησιν τοῦ αἵματος αὐτοῦ (c. LXVI). Alibi autem (c. XLI) eamdem oblationem asserit fieri εἰς ἀνάμνησιν τοῦ πάθους, οὗ ἔπαθεν ὑπὲρ τῶν καθαιρομένων τὰς ψυχὰς ἀπὸ πάσης πονηρίας ἀνθρώπων. Traduntur itaque a Justino duae parallelae determinationes finis, in quem panem eucharisticum Christus offerri jussit, quae egregie correspondent duplici additioni soteriologicae ad consecrationis formulas τὸ ὑπὲρ ὑμῶν (= quod pro vobis est) et τὸ ὑπὲρ ὑμῶν διδόμενον. Quapropter magna cum probabilitate consequitur utramque additionem ex interpretatione Justini esse enatam.

Eidem scopo, removendae nimirum a Domino redemptionis per mortem suam obtinendae proclamationi, deserviunt Joh. Weiss et A. Loisy, animadvertentes in documentis influxu theologiae paulinae non adulteratis, qualia sunt textus Lucae occidentalis et orationes eucharisticae Διδαχή, nullam indicationem redemptoriam prostare.

1. Sententiam A. Andersen ad criticae tribunal brevi negotio deferimus. Pericope, sic ille, per quam apostolus monita sua Corinthiis tradit, quadruplicem partem habet : 1° v. 20-23; 2° 23-27; 3° 27-33; 4° 33-34. Convenientibus vobis in unum, ait Paulus v. 20, jam non est dominicam coenam manducare : unusquisque enim coenam suam, fratribus non exspectatis, praesumit. Quae agendi ratio, vos aut domos, in quibus manducetis, non habere, aut ecclesiam Dei spernere, supponit. Quum itaque domus vobis non desint, ecclesiae et pauperum contemptio sub egoistica vestra agendi ratione residet. Jamvero doctrinam, quam circa coenae eucharisticae institutionem et naturam, ab ipso Christo acceperam, edocui vos, adeo ut dispositiones ad praxim eucharisticam requisitas, ignorare jam non possitis. Quapropter fratres mei dum convenitis, invicem exspectate.

Egregium primam inter et quartam partem idearum parallelismum vigere, manifestum est : dum in priori abusus describuntur, in posteriori remedia quibus iidem eradicentur, assignantur : fideles coenam sumpturi, se invicem exspectent, ne in judicium conveniant v. 33. Jam autem, de judicio quod illi, qui ex ecclesiae contemptu, coenam ante fratrum adventum

praesumunt, incurrunt v. 29-30 sermo movetur : infirmi et dormientes tales sunt ob indignam coenae eucharisticae sumptionem. Quibus positis, evidentia ineluctabili consequitur : 1° expressiones τὸ σῶμα μὴ διακρίνειν ab una parte, et καταφρονοῦντας τῆς ἐκκλησίας τοῦ θεοῦ ἀλλήλους μὴ ἐκδέχεσθαι καὶ ἐν οἴκῳ μὴ ἐσθίειν εἴ τις πεινᾷ ab altera, esse aequipollentes; 2° verba ἑαυτοὺς διακρίνειν oppositionem dicere ad τὸ σῶμα διακρίνειν simul et identificari cum ἑαυτοὺς δοκιμάζειν v. 28. Sententiarum ab apostolo expositarum connexio, huc itaque redit : Corinthii κυριακὸν δεῖπνον celebrantes, suum erga ecclesiam contemptum in hoc manifestant, quod coenam sumpturi, fratrum adventum non exspectent. Porro talis agendi ratio, quum naturae hujusce convivii manifeste contradicat, laudari nequit. Est enim coena eucharistica communitatis coena, in qua, pane mediante, cum corpore Christi mystico id est cum ecclesia, communicatio initur, et per calicis sumptionem, novi foederis participatio obtinetur. Hinc, quum privata manducatio tali institutioni contradicat, Corinthii, in functione membrorum ecclesiae se dijudicent, et cum aestimatione corporis Christi mystici, edant et bibant.

Apostoli ergo doctrina sic se habente — quod praeter traditam analysim, egregius inter duos actus eucharisticos, respective christianam communitatem et novum foedus spectantes, parallelismus vigens comprobat —, verba τὸ ὑπὲρ ὑμῶν authentica esse nequeunt : ex textu itaque exscindantur, oportet. »

Verum doctum exegetam expressionis soteriologiae τὸ ὑπὲρ ὑμῶν authentiam impugnando, tempus perdidisse et oleum, illi qui Pauli theologiam presse considerat, statim apparet. Quod quidem, omissis considerationibus quae ex critica textuali adduci possent, sequens animadversio indubie conficit. Abusus reformaturus, qui Corinthiorum praxim eucharisticam deturpaverant, apostolus coenae institutionem denuo describit; quo peracto, duplicem circa sensus quibuscum recta coenae celebratio institui oporteat, consequentiam deducit : prior ad intimam coenae naturam se refert, et conditiones Eucharistiae receptioni per se et semper requisitas describit (v. 26-29); posterior circa abusivam Corinthiorum celebrationem versatur

(v. 30-34). Jam autem priorem narrationis partem assignatam si consideremus, v. 24-25 ab una parte, et v. 26 ab altera, de eodem objecto sermonem moveri, oculos incurrit : quoties cumque *enim* panem hunc et calicem bibetis... Sed et v. 27 orationem de eodem objecto protrahi, aeque manifestum est : *itaque*, quicumque manducaverit panem hunc et biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini. Quibus positis, in consecrationis formula, verba « hoc est corpus meum » corpus Christi physicum praesignare, nulla exegesi possibili, excludi potest : etenim 1° per quatuor versus assignatos (24-27) panis et calix eucharistici et corpus et sanguis Christi, ut expressiones aequipollentes usurpantur; atqui, ubi v. 27 asseritur indignum Eucharistiae susceptorem corporis et sanguinis Domini reum constitui, de naturae physicae Christi partibus indubie agitur, ergo et v. 24-25; 2° v. 29 supponitur etiam indignum corpus et sanguinem Domini accipere : quod, nisi Christus in Eucharistia realiter praesens ponatur, quovis sensu caret.

Convellitur etiam interpretatio Andersen, si textum juxta eamdem retractemus. Ego enim accepi a Domino... quoniam Dominus Jesus... accepit panem, et gratias agens fregit et dixit : accipite et manducate : hoc significat ecclesiam : hoc facite in meam commemorationem; 25 quotiescumque enim manducabitis panem hunc, qui ecclesiam significat, mortem Domini annuntiabitis donec veniat (?). Itaque quicumque manducaverit panem hunc, ecclesiae symbolum, ... reus erit corporis et sanguinis Domini (?). Qui enim manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit, non dijudicans ecclesiam (!). Incohaerentia doctrinae, quae per talem interpretationem apostolo tribuitur, tanta est, ut ulterioribus argumentis opus non sit (1).

(1) Doctrinae eucharisticae integrae, ab apostolo I Cor. X et XI traditae restitutio, inter difficiliora theologiae paulinae problemata, merito computatur, et diversissimas hac de re vulgari sententias mirationem immerito moveret. Ut de solis recentioribus loquamur, triplex praecipuus interpretationis typus recensetur. I. A. ANDERSEN; F. BARTH, *Die Hauptprobleme des Lebens Jesu*, p. 207² sq. Gütersloh, 1903; J. BOVON,

2. Ad orationes in cap. IX et X documenti, anno 1883 ab Ill. Bryennios adinventi quodque inscribitur Διδαχὴ κυρίου διὰ

Théologie du Nouveau Testament, II, p. 219². Lausanne, 1905, formulas eucharisticas c. XI sensu symbolico interpretantur, et communitatem qua, juxta c. X, panem et vinum eucharistica sumentes Christo et inter se colligantur, exclusive mysticam esse propugnant. II. Interpretationem realisticam tuentur CORNELY, *Commentarius in I Corinthios,* p. 293 sq. Parisiis, 1890; P. FEINE, *Jesus-Christus und Paulus,* p. 214 sq. Leipzig, 1902; O. PFLEIDERER, *o. c.,* p. 297² sq.; JOH. HOFFMANN, *o. c.,* p. 123, 149 sq., 246 sq.; W. HEITMÜLLER, *Taufe und Abendmahl bei Paulus,* p. 23 sq. (saltem quantum ad caput X). Göttingen, 1903. III. Tandem P. BATIFFOL, *L'Eucharistie dans le Nouveau Testament,* in *Bulletin de littérature ecclésiastique,* p. 129 sq. Paris, 1903, solutionem intermediam propugnat, quam hisce verbis exponit : « Le sens de tout le récit paulinien de la cène est développé par l'apôtre dans les lignes qui suivent immédiatement ce récit : chaque fois que vous mangez ce pain et que vous buvez cette coupe, vous annoncez la mort du Seigneur jusqu'à ce qu'il vienne... Vous annoncez non pas au sens d'un évènement futur, évidemment, puisque l'évènement est passé, mais dans le sens de célébrer, de redire, de rappeler, dans le sens de εἰς τὴν ἀνάμνησιν... Etre responsable du corps et du sang du Seigneur, c'est être dans le cas d'un homme à qui Dieu réclame le corps et le sang d'un autre homme, supposé être sa victime. Jahvé dit à Ezéchiel : « Quand je dirai au méchant : tu mourras ! si tu ne l'avertis pas, si tu ne parles pas pour lui sauver la vie, ce méchant mourra dans son iniquité, et je te redemanderai son sang ». Dans ce cas, Ezéchiel serait au regard de Dieu responsable au sang du méchant. De même, le chrétien indigne sera responsable du sang du Seigneur et de son corps. Paul ne dit pas ici pour autant, ainsi que le lui font dire certains exégètes modernes, que le pain du Seigneur est le corps du Seigneur, que la coupe du Seigneur est le sang du Seigneur : pareille affirmation n'est pas dans la perspective actuelle de Paul. Le chrétien indigne reçoit le sacrement du pain et du vin, et Dieu lui réclame le prix du corps et du sang, comme s'il devenait complice de la crucifixion du Christ sur le calvaire. L'épître aux Hébreux dira dans le même sens des chrétiens tombés, qu'ils crucifient eux-mêmes le Fils de Dieu. VI, 6. » — Descriptam opinionem cum apostoli doctrina soteriologica optime cohaerere et aptam viam, qua extrachristianam dogmatis realis praesentiae originem, quam adversarii adstruere nituntur, impugnemus, suppeditare, libenter fatemur. At praesentiae realis dogma argumentationis apostoli essentiale elementum constituere, non videre non possumus. Mentem nostram, hac de re, opportuna occasione, si Deus dederit, aperiemus.

τῶν δώδεκα ἀποστόλων τοῖς ἔθνεσιν jam deveniamus oportet. Arduum esse problema illud quod circa naturam et valorem historicum hujus documenti versatur, neminem latet, nec est cur sententiarum colluviem hac de re propositarum, in memoriam revocemus. Inquisitio enim nostra ad hanc unicam quaestionem constringitur : preces cap. IX et X Didache traditae respiciuntne Eucharistiam et quatenus affirmative, quanam de ratione desideratur in ipsis mentio dogmatum praesentiae realis et soteriologiae, quae tamen in documentis, de praxi eucharistica ex professo agentibus, exponi solita sunt?

Contra unanimem ferme auctorum opinionem vigentem, P. Ladeuze (1) maxima cum acribeia et eruditione, recenter tuitus est opinionem indicatas orationes unice agapas christianas, nullatenus Eucharistiam respicere. Quae opinio si vera reperiatur, ad easdem orationes, tamquam ad specialem doctrinae eucharisticae fontem aut antiquius praxis eucharisticae documentum, jam non erit recurrere. Capita enim XIV et XV indubie eucharistica, nullum elementum didacticum sive liturgicum, quod alium praeter hagiographos fontem supponat, continent. Sic enim se habent : « Die autem dominica convenientes, frangite panem et gratias agite, ut sit mundum sacrificium vestrum (2). Omnis vero cui est controversia cum amico

(1) *L'Eucharistie et les repas communs des fidèles dans la Didaché,* in *Revue de l'Orient chrétien.* Paris, 1902. Sententiam P. Ladeuze tuetur etiam F. KATTENBUSCH, *Realencyklopädie für protestantische Theologie und Kirche, herausgegeben von A. Hauck,* ad vocem Messe, XII. p. 671. Leipzig, 1903; necnon etsi diversum in finem A. ANDERSEN, *o. c.,* p. 57 sq.

(2) Quaestio disputata est quanam ratione Eucharistia in Didache dicatur sacrificium θυσία. Sacrificium mysticum indigitari, illud nimirum quod constituunt orationes puro corde dictae asserunt A. HARNACK, *Dogmengeschichte,* I, p. 200; E. VON DER GOLTZ, *Das Gebet in der ältesten Christenheit,* p. 223. Leipzig, 1901; P. BATIFFOL, *L'Eucharistie dans la Didaché,* in *Revue Biblique,* 1905, p. 66, qui mentem suam sic aperit : « L'offrande ou θυσία dont il est ici question est celle qu'offre à Dieu le cœur qui prie, à condition d'être pur. Les fidèles purifieront donc leur cœur, en quittant tout ressentiment, en détestant leurs fautes par une contrition publique. Il ne faut pas venir à la prière avec une conscience perverse : tant vaut la conscience, tant vaut la prière qu'elle offre

suo, ne conveniat vobiscum donec reconciliati sunt, ne inquinetur sacrificium vestrum. Hoc enim est dictum a Domino : In omni loco et tempore offeratur mihi sacrificium mundum, quoniam rex magnus sum, dicit Dominus, et nomen meum mirabile in gentibus ».

Integra itaque difficultas circa cap. IX et X versatur. Rationes quibus P. Ladeuze orationes in his capitibus contentas non esse eucharisticas conficiat, ad sequentia summa capita reducuntur. 1° Si convenienti methodo documentum nostrum, quod ad primum saeculum pertinet et anno 80° vix posterius videtur, quis interpretetur, nullum ex vocabulario ad indicandam naturam convivii in quo transcriptae preces recitari debent, adhibito in favorem sententiae traditionalis colligi posse argumentum, facile deprehendet. Locutionem enim περὶ δὲ τοῦ κλάσματος, ὥσπερ ἦν τὸ κλάσμα canones Hippolyti saeculo III de agapis adhuc usurpant; vox εὐχαριστία toties quoties in Novo Testamento adhibetur, id est quindecim vicibus, simplicem gratiarum actionem indigitat; gratiarum actionis objectum quod indicant verba ὑπὲρ τῆς ἁγίας ἀμπέλου Δαβὶδ τοῦ παιδός σου forsan est Ecclesia, et certe ob contextam orationem immediate sequentem ἧς ἐγνώρισας ἡμῖν διὰ Ἰησοῦ τοῦ παιδός σου, vix serio cum sanguine Christi identificaretur; tandem voces « πνευματικὴν τροφὴν καὶ ποτὸν » absque articulo adhibitae, Eucharistiam non praemonstrant.

Orationes itaque capitis IX non demonstrari eucharisticas ex praecedentibus elucet. Insuper 2° insufficientia apparent argu-

à Dieu. Le *Pasteur* d'Hermas enseigne que la prière de l'homme chagrin n'a pas la vertu de monter sur l'autel de Dieu (Mand. X, 3, 2). La Didaché est dans le même sentiment. » — Contra, E. JACQUIER, *La doctrine des douze apôtres et ses enseignements*, p. 202, Lyon et Paris, 1891, P. LADEUZE, *o. c.*, p. 3, censent ipsa dona eucharistica sacrificium stricte dictum appellari. — Si consideretur in tota retro antiquitate invocationem prophetiae Malachiae sicut et usum vocis « θυσία » Eucharistiae applicatae, denotare sacrificium stricte dictum (cfr. ex. gr. Justinus, Dial. 28 sq. 41, 116 sq.), necnon Eucharistiam in nostro documento instanter dici « θυσία », haec posterior opinio certe longe probabilior apparet.

menta quibus Zahn et Wohlenberg preces capitis X transitum constituere a simplici agapa ad Eucharistiam, demonstrare aggressi sunt. Volunt enim finem capitis X qui sic sonat : si quis sanctus est, accedat; si quis non est, poenitentiam agat. Maranatha. Amen. » continere invitationem fidelibus factam ut se sacramenti acceptioni praeparent, et si indignos se reperiant, ab eadem abstineant; necnon vocem Maranatha = veni Domine, desiderii ardentis, quo conflagrant christiani Christum recipiendi, expressionem constituere. Porro prolatae invocationes si sub lumine contextus spectentur, eschatologicas sententias exprimere dicendae sunt. Gratiis actis de donorum naturalium acceptione, oratio proprie dicta recitatur : « Recordare Domine ecclesiae tuae ut eam liberes ab omni malo eamque perficias in tua charitate et collige eam a quatuor ventibus sanctificatam in regnum tuum quod ei parasti, quoniam tua est virtus et gloria in saecula. Adveniat gratia et praetereat mundus hic ». Jam autem Ecclesia hic manifeste intelligitur triumphans, regnum nempe messianicum, ad quod primae generationes christianae anhelabant. Cujus mentio, vehemens apud christianos obviam Christo occurrendi desiderium excitat : veniat (haec suprema) gratia et praetereat mundus praesens! Mox desiderium suum realizatum sibi imaginantes conclamant : Hosannah filio David! utque acquirant quamprimum dispositiones quas a suis electis Dominus repetet, se invicem monent, et denuo exclamant : Maranatha = veni Domine (1).

(1) « Ce royaume dans lequel doivent se réunir les fidèles dispersés par toute la terre, c'est évidemment le royaume de l'autre monde, ce royaume messianique vers lequel les premiers chrétiens tenaient leurs âmes constamment élevées. Dès qu'ils en avaient fait mention, ils ne pouvaient pas ne pas se laisser aller au désir ardent qui les emportait vers cet heureux terme : *Vienne la grâce,* la grâce suprême promise par le Christ aux siens, et *passe ce monde* qui nous en tient éloignés! Emportés par ce désir, ils s'imaginent déjà voir le Sauveur revenir sur les nuées pour fonder cet heureux royaume et ils le saluent de la salutation triomphale, qui acclama le Christ entrant à Jérusalem : *Hosanna au fils de David.* Puis ils s'excitent l'un l'autre à aller au devant du Christ ou encore à se mettre au plus vite dans les dispositions qu'il requerra de ses élus : *Qui est saint, s'approche.* Qui ne l'est pas fasse

3° Ab altera nunc parte, contra caracterem eucharisticum capitum IX et X alte loquuntur : *a)* differentia quae inter caput XIV indubie eucharisticum et IX et X deprehenditur, necnon factum quod haec duplex capitum series separatim legantur; *b)* praescripta XI, 9 regula : « Et nullus propheta decernens (fieri) mensam in spiritu, edet ab ea, nisi pseudopropheta est », quae vix de coena eucharistica intelligi potest; *c)* expressio usurpata X, 1 μετὰ δὲ τὸ ἐμπλησθῆναι, quae coenam ordinariam denotat. *d)* Auctor tractatus *de Virginitate,* qui perperam Athanasio adscribitur, preces cap. IX et X, ut simplices agapas spectantes intellexit, et ab altera parte, auctor *Constitutionum apostolicarum,* ut easdem eucharisticas redderet, varias modificationes introducere coactus est. *e)* Tandem documentum integrum egregiam in se interpretationem accipit, et consuetudinibus, quas ex variis documentis primitivis et praesertim ex canonibus Hippolyti cognoscimus, aptatur si ponamus duas coenas bene distinctas, alteram eucharisticam, de qua cap. XIV et XV, ordinariam alteram cum caractere semi-liturgico, quaeque communismi victualis primitivae communitatis hierosolymitanae prolongationem constituat.

Et haec certe sedulo prae oculis habeat oportet ille, qui de Eucharistia prout in Didache obvenit, loqui desiderat. Utrum tamen auctor compilationis ex qua documentum nostrum ut nunc est, ortum traxit, traditas orationes unice ad agapas referat, perdifficilis est quaestio, cujus definitiva et certa solutio cum pluribus aliis et praeprimis cum tendentia et aetate Didache cohaeret. Etenim A. Resch (1) ratus breviorem lectionem Lucanam XXII 17-19^{a} quam, ut supra vidimus, integra textuum familia (D a ff^{2} il) repraesentat, ex retractatione judaizante manu facta enatam esse, necnon orationes capitibus IX et X Doctrinae contentas breviori Lucae lectioni egregie correspondere, ex his

pénitence ! Enfin tout se termine par cette acclamation qui clôture aussi l'Apocalypse, par un nouveau soupir vers le retour du Sauveur : Maran-atha, ô notre Seigneur, viens ! » *O. c.,* p. 14.

(1) *Aussercanonische Paralleltexte zu den Evangelien, Texte und Unters.* Bd. X, ht. 2, p. 635 sq. Leipzig, 1895.

ulterius infert, dictas orationes esse eucharisticas, at indicatione soteriologiae sicut et cod. D, tendentiose purgatas. Alteram sui argumenti praemissam, schematice sic probat.

Διδαχή, IX, 1, 2ª.	Luc. XXII, 17 (Codex D.)
περὶ δὲ τῆς εὐχαριστίας οὕτως εὐχαριστήσατε· πρῶτον περὶ τοῦ ποτηρίου.	καὶ δεξάμενος τὸ ποτήριον εὐχαριστήσας εἶπεν · λάβετε τοῦτο, διαμερίσατε ἑαυτοῖς.
2ᵇ. εὐχαριστοῦμέν σοι, πάτερ ἡμῶν ὑπὲρ τῆς ἁγίας ἀμπέλου Λαβὶδ τοῦ παιδός σου.	18. λέγω γὰρ ὑμῖν · ἀπὸ τοῦ νῦν οὐμὴ πίω ἀπὸ τοῦ γενήματος τῆς ἀμπέλου ἕως ὅτου ἔλθῃ ἡ βασιλεία τοῦ Θεοῦ.
3. περὶ δὲ τοῦ κλάσματος· εὐχαριστοῦμέν σοι.	19ª. και λαβὼν ἄρτον εὐχαριστήσας ἔκλασεν καὶ ἔδωκεν αὐτοις, λέγων · τοῦτό ἐστιν τὸ σῶμά μου.

Ab altera parte, P. Batiffol (1) hoc ipso anno opinionem defendit auctorem nostrae Didache orationes eucharisticas non adinvenisse sed praeexistentes ut idealem gratiarum actionem transcripsisse. Qui compilator, quum non deprehenderet orationes capitis X constituere duplicatum sive parallelismum perfectum cum precibus capite IX traditis et simul vineam sanctam David de sanguine Christi interpretaretur, ideo posuit indicationes : primum de calice XI, 2ª, et μετὰ δὲ τὸ ἐμπλησθῆναι X, 1, quum tamen sumptionem sanguinis succedere receptioni corporis Christi egregie sciret, sicut demonstrat IX, 5 : Nemo autem *edat neque bibat* de vestra Eucharistia, nisi qui baptizati sunt in nomine Jesu. Si itaque additiones ab ipso compilatore modo satis devio introductae praescindantur, remanent duae orationes eucharisticae parallelae, quae supponunt elementa eucharistica jam esse consecrata : fractio panis, quae coenae eucharisticae ritum essentialem constituit et ad quam consecrationis formulae pertinent, jam peracta supponitur. Unice ergo gratiarum ac-

(1) *L'Eucharistie dans la Didaché,* in *Revue biblique,* p. 58 sq. Paris, 1905.

tiones, quae susceptionem sacramenti de congruo praecedere debent, traduntur :

I

IX. Gratias tibi agimus, pater noster, de sancta vite David pueri tui quam indicasti nobis per Jesum puerum tuum : gloria tibi in saecula.

II

Gratias tibi agimus, pater noster pro vita et scientia quam indicasti nobis per Jesum puerum tuum : gloria tibi in saecula.

II′

X. Gratias tibi agimus, pater sancte pro sancto nomine tuo quod fecisti ut habitet in cordibus nostris et pro scientia et fide et immortalitate, quam indicasti nobis per Jesum puerum tuum; gloria tibi in saecula.

III

Sicut hic panis fractus dispersus erat supra montes et collectus factus est unus, ita colligatur ecclesia tua a finibus terrae in regnum tuum, quoniam tua est gloria et virtus per Jesum Christum in saecula.

III′

Recordare, Domine, ecclesiae tuae, ut eam liberes ab omni malo eamque perficias in caritate tua et collige eam a quatuor ventis sanctificatam in regnum tuum quod ei parasti, quoniam tua est virtus et gloria in saecula.

* * *

Examinis, quo rei veritatem assequi sategimus, conclusiones sunt sequentes :

1. Capita IX et X nulla ratione esse eucharistica, sententia est solida quidem probabilitate gaudens, quam et nos tuemur, quae tamen apodictice non demonstratur. In contrarium enim facere videntur sequentes considerationes : 1° Post descripta in sex prioribus capitibus praecepta moralia, auctor nostri documenti praxes liturgicas pertractat. Capite autem VII loquitur de Baptismo, c. VIII de jejuniis, c. IX sq. de εὐχαριστία : porro formulae, qua doctrinam, quam circa Baptismum tradit, introducit, undequaque parallela est haec altera qua de εὐχαριστία loqui inchoat : VII, 1 περὶ δὲ τοῦ βαπτίσματος, οὕτω βαπτίσατε; IX, 1 περὶ δὲ τῆς εὐχαριστίας, οὕτως εὐχα-

ριστήσατε. Nonne obvie quis in utroque casu de sacramento sermonem fieri exspectat? 2° IX, 5 legitur : « Nemo autem edat neque bibat de vestra εὐχαριστία, nisi qui baptizati sunt in nomine Jesu; de hoc enim dicit Dominus : ne date sanctum (τὸ ἅγιον κ. τ. λ.) canibus ». Non infitiamur certe celebrata fuisse apud christianos convivia esoterica, a quorum participatione non baptizatos fuisse exclusos, non aegre intelligitur; nec in dubium vocamus usum vocis εὐχαριστία ad indicandas agapas esse possibilem : hinc versus 9, c. IX in sententia P. Ladeuze et F. Kattenbusch est certe possibilis. Verum haec praeceptiva praescriptio, quam s. Justinus Eucharistiae applicat dicendo : « Atque hoc alimentum apud nos vocatur Eucharistia, cujus nemini alii licet esse participi, nisi qui credat vera esse quae docemus atque illo ad remissionem peccatorum et regenerationem lavacro ablutus fuerit, et ita vivat ut Christus tradidit », certe longe melius coenae eucharisticae aptatur. 3° X, 3 sic sonat : Tu, Domine omnipotens, creasti omnia propter nomen tuum et cibum potumque dedisti hominibus ad fruendum, nobis autem largitus es spiritualem cibum et potum et vitam aeternam per puerum tuum ἡμῖν δὲ ἐχαρίσω πνευματικὴν τροφὴν καὶ ποτὸν καὶ ζωὴν αἰώνιον διὰ τοῦ παιδός σου. Jamvero si consideretur oppositio inter duo phraseos membra vigens, videtur dicendum cibum et potum, quos christianis largitus est Christus, a cibo et potu ordinariis specifice distingui; insuper expressio πνευματικὴν τροφὴν καὶ ποτὸν ex theologia paulino-johannica inspirata et coelestem cibum praemonstrare videtur; tandem verba ζωὴν αἰωνίον descripti cibi effectum indicare videntur : porro, in theologia joannica, prout eamdem evolvit s. Ignatius Eucharistiam ut φάρμακον ἀθανασίας exhiberi, omnibus notum est. 4° Tandem finis capitis X (v. 6), etsi sensu eschatologico optime intelligi queat et juxta primitivam suam inspirationem forsan intelligi debeat, in contexta tamen oratione, ut scite observat E. von der Goltz, cum sacramenti receptione optime quadrat.

2. Sententiam itaque, quae capita IX et X ut eucharistica considerat (connotando vel non agapas), quamque cum pluribus

aliis auctoribus tuentur E. Jacquier, A. Resch (1), P. Batiffol (2), E. von der Goltz (3) et Joh. Hoffmann (4), saltem ut possibilem prae oculis habeamus oportet. Qua posita, si sedulo consideretur orationes eucharisticas juxta typum orationum in paschatis celebratione recitatarum, esse evolutas, necnon preces, quibus Judaei tertium calicem paschalem benedicere solebant, ante panis benedictionem recitari consuevisse (5), sententiam A. Resch

(1) *O. c.*, p. 635 sq.
(2) *O. c.*, p. 58 sq.
(3) *O. c.*, p. 211 sq.
(4) *O. c.*, p. 223.
(5) *Didache* IX, 2. Gratias tibi agimus, pater noster, pro sancta *vite* David pueri tui, quam indicasti nobis per Jesum puerum tuum.

IX, 3. De *pane* fracto : Gratias tibi agimus, pater noster, pro vita et scientia quam indicasti nobis per Jesum puerum tuum.

X, 2. Gratias tibi agimus, pater sancte, pro sancto nomine tuo, quod fecisti ut habitet in cordibus nostris et pro scientia et fide et immortalitate... 3. Tu Domine omnipotens *creasti omnia* propter nomen tuum et cibum potumque dedisti hominibus *ad fruendum*, ut tibi gratias agant, nobis autem largitus es spiritualem cibum et potum et vitam aeternam per puerum tuum... 5. *Recordare Domine, Ecclesiae tuae*, ut eam liberes ab omni malo eamque perficias in *caritate tua* et collige eam a quatuor ventis sanctificatam in regnum tuum, quoniam tua est virtus et gloria in saecula.

Ad secundum vel tertium calicem paschalem : Gratias tibi agimus, Domine Deus noster, qui creasti fructum vitis.

Super panem : Gratias tibi agimus, Domine Deus noster, qui deducis panem de terra.

Ad quartum calicem : Gratias tibi agimus, Domine Deus, rex noster ob vitem et fructum vitis et terram bonam, egregiam et spatiosam, quam donasti in haereditatem patribus nostris, *ut ejus fructibus fruantur, ejusque bonitate delectentur.*

Recordare Domine, Deus noster, populi tui Israel et urbis tuae Jerusalem et Sion, habitationis gloriae tuae : *nam tu es bonus* Domine et benefacis omnibus. Gloria tibi, Domine, ob terram et fructus ejus.

A. Loisy, *Le quatrième évangile*, Paris, 1903, p. 4, qui etiam orationes cap. IX et X Didache, eucharisticas censet, sic loquitur : « On est bien tenté de penser que ces prières ont été imitées des discours après la cène, mais il ne faut pas oublier que la rédaction des discours est

esse gratuitam et quavis verisimilitudine carentem, statim apparebit. Opinio itaque quae easdem orationes, juxta primitivam suam inspirationem, judaicas, christianum in sensum retractatas et Eucharistiae celebrationi aptatas asserit, problemati nostri solvendo satis apta videtur.

Molestam tamen difficultatem contra eamdem creat circumstantia haec, capita IX-X a capitibus XIV sq. separari, diversoque ab illis tenore exstructa deprehendi. Jure merito rogari potest, quanam de ratione compilationis auctor capita IX-X cum cap. XIV sq., si utrinque de Eucharistia agatur, non conjunxerit; quonam de motivo Eucharistia c. XIV dicatur sacrificium, quod in orationibus cap. IX-X non obtinet, et cur tandem prophetis gratias agere quantas velint liceat c. X, 7, quod a caractere coenae, prout c. XIV describitur, longe discedit. Historiographo absque praejudicata mente descriptas diversitates consideranti, aut sententiae P. Ladeuze et F. Kattenbusch adhaereat, aut diversitatum rationem aliquam reddat, oportet.

Jam autem ex antiquitatis documentorum inspectione, nullam aliam diversitatum harum rationem reperimus nisi hanc : die dominica celebrabatur Eucharistia per consecrationem panis et vini, huicque actui ratio sacrificii competebat. Quam celebrationem proprie dictam cap. XIV sq. indubie describunt. Christianis vero eamdem ceremoniam religiosam adire, quavis de causa impeditis et communionem accipere cupientibus, species eucharisticae per diaconos asportabantur et tradebantur. Cui traditioni caracter liturgicus quum inhaereret, orationes de congruo recitandae fuerunt : tales orationes capitibus IX-X contineri forsan haud immerito diceretur.

Prolatam praxim in primitiva Ecclesia viguisse, explicitis verbis testatur etiam s. Justinus, Apol. I, c. LXVII : « Ac solis, ut dicitur, die, omnium sive urbes sive agros incolentium in eumdem locum fit conventus et commentaria apostolorum et scripta prophetarum leguntur, quoad licet per tempus... Postea

dominée par l'idée du mystère chrétien et qu'elle est à sa manière un écho de la liturgie primitive ». Revera tali hypothesi cognatio Didache cum quarto evangelio bene explicatur.

omnes simul consurgimus et preces emittimus atque... ubi desiimus precari, panis affertur et vinum et aqua, et qui praeest preces et gratiarum actiones totis viribus emittit, et populus acclamat Amen, et eorum in quibus gratiae actae sunt, distributio fit et communicatio unicuique praesentium et *absentibus per diaconos mittitur.* »

Exposita hypothesi admissa, documentum nostrum haud aegre intelligitur : sicut enim post expositum ritum administrandi baptismum, VII, 1 sq., occasione dispositionis circa jejunium baptizando et baptizanti indictum statutae auctor VIII, 1 sq. de jejunio loquitur; ita quum X, 7 dixisset. « Prophetis vero permittite gratias agere quantas volunt », in cap. XI sq. disciplinam ecclesiasticam circa prophetas et apostolos vigentem exponit et c. XIV ad coenam eucharisticam stricte dictam devenit. Nulla itaque vel cogit vel suadet ratio, ut juxta thesim rationalisticam, quem recentissime P. Drews denuo recoxit (1), capita IX-X, et XIV sq. diversa evolutionis quae circa eucharisticam coenam locum habuerit, stadia repraesentare, dicamus. Nam talis evolutio, praeterquam quod non demonstretur, oeconomiae litterariae Didache explicandae nullatenus aptatur. Etenim, posito capita IX-X esse eucharistica, occurrentes in ipsis expressiones, ut X, 3 ὑμῖν δὲ ἐχαρίσω πνευματικὴν τροφὴν καὶ ποτὸν καὶ ζωὴν αἰώνιον διὰ τοῦ παιδός σου, X, 6 etc., cum theologia paulino-joannica cohaerere, dicendae essent.

Quibus positis, formularum consecrationis et soteriologiae a capitibus IX-X Didache absentiam, sufficientissime explicare possumus. 1° Qui eadem capita unice agapas sive coenam ordinariam spectare tuentur, objectionis ab A. Loisy et Joh. Weiss propositae, suppositum negabunt; descriptarum orationum nec auctor nec compilator de Eucharistia loqui intendit. 2° Qui vero sub his praxim eucharisticam agnoscunt, quum Didache sit manuale liturgicum ad usum fidelium, et descriptae orationes, probabilius extra consecrationis proprie dictae ceremoniam, populo recitandae praemonstrentur, jure reponent consecrationis

(1) *Untersuchungen zur Didache, Zeitschrift für die neutestamentliche Wissenschaft,* V, p. 74 sq. Giessen, 1904.

formulas cum soteriologiae indicatione merito exspectari non posse, dona autem scientiae et fidei et immortalitatis tamquam Eucharistiae fructus describi.

3. Tandem s. Justinum quod attinet, ipsius loquendi modus contra soteriologicae proclamationis authentiam nullam difficultatem facescere potest. Nam praeterquam quod apologetam Eucharistiae descriptionem juxta fontem ab hodierno Pauli et evangeliorum textu diversum curasse demonstrari nequeat, ut ipse K. G. Goetz fateri cogitur, quum ipsi curae unice fuerit Veteris Testamenti prophetias in christianismo impletas demonstrare et objectatas contra novam religionem impietatis et immoralitatis calumnias refellere — ad quem scopum textualis evangeliorum citatio impertinens apparet —, jam nequit ex ipsius silentio argumentum quodvis desumi. Tandem Justinum corporis et sanguinis Domini virtutem redemptricem et testamentariam agnovisse apud ipsos adversarios in confesso est exque textu supra citato luculenter colligitur (1).

(1) Liberior et incompleta evangelici textus citatio apud alios etiam antiquitatis scriptores obvia occurrit. Quarum citationum, quae soteriologiam spectant, catalogum struxit K. G. Gœtz, *o. c.* p. 145 sq. : quem hic transcribere et dijudicare juvat. Breviorem formulam circa calicem, praeter Justinum, habent etiam : 1) Clemens Alex. Paed. II, 2, 32 : λάβετε πίετε · τοῦτό μού ἐστι τὸ αἷμα ; cui citationi parallela est haec altera Paed. I, 6, 38, 42 καὶ πίετέ μου τὸ αἷμα. 2) Cyrill. Hieros. (320 ed. Touttée) : λάβετε, πίετε · τοῦτό μού ἐστι τὸ αἷμα. 3) ἡ θεία λειτουργία τοῦ ἁγίου ἀποστόλου Πέτρου (Fabricius III, 159 sq.) : πίετε ἐξ αὐτοῦ πάντες · τοῦτο ἐστῖ τὸ αἷμά μου. 4) Ambrosian. Missa (Pamelius I, 302) : accipite et bibite ex eo omnes : hic est enim sanguis meus — Quibus reponimus : 1° Constat inter criticos, primorum saeculorum scriptores evangeliorum citationes ad litteram factas neque conquisivisse neque curasse. 2° In prolatis citationibus ex professo agitur de ipsa Eucharistia : hinc declarationes soteriologicae, quae consecrationis formulis quasi superadduntur, salva rei substantia, omitti poterant. 3° Integra formula apud plures reperitur, quod ipse Gœtz fatetur : 1) Origen. in Jerem. homel. XII, 2 : λάβετε, πίετε · τοῦτό μού ἐστι τὸ αἷμα, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυννόμενον εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν; cfr. etiam homil. IX, 10 (in Levitic.), et in Matth., XVII, 23; 2) Const. ap. VIII, 12 : τοῦτό ἐστι τὸ αἷμα μου τὸ περὶ πολλῶν ἐκχυννόμενον εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν; 3) The liturgy of St-Clement (Brightman 101) : πίετε ἐξ αὐτοῦ πάντες - τοῦτο [ἐστι] τὸ αἷμά μου τὸ περὶ πολ-

Stet itaque conclusio : Attestationi quam evangelistae Christo coenanti adscribunt, corpus et sanguinem sua, quae discipulis sumenda porriguntur, mox in hominum redemptionem positum iri, genuinus etiam apostoli textus congruit eamque confirmat; neque contra eamdem sive ex Didache, sive ex Justino seria difficultas desumi potest. Mors itaque Domini, de ipsius auctoritate, apud primitivae fidei testes, ut novae oeconomiae fundamentum putabatur.

* *

Actus a Christo positi caracterem testamentarium testatur etiam institutionis mandatum τοῦτο ποιεῖτε εἰς τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν, apud Paulum et Lucam traditum. Verum Marci et Matthaei silentium contra ejusdem authentiam tamquam inexpugnabile argumentum allegari solet. Quapropter qua meliori via idem silentium explicari queat, nobis est inquirendum.

Matthaeum hic a Marco pendere, adeoque inquisitionem nostram ad solum Marcum constringi, dictu vix opus videtur. In memoriam vero revocare juvat ante recentiora tempora de mandati institutionis authentia, dubium nullum esse motum, sed apud catholicos et lutheranos (1), sicut apud reformatae

λῶν ἐκχυννόμενον εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν ; 4) Acta et Martyr. Matthaei (ed. Tischendorf, §§ 27, 1871) : τοῦτο τὸ αἷμα αὐτοῦ τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυθὲν κ. τ. λ.; 5) Ephraem Syr. sermo IV, in hebd. s. c. 6 (I, 424 sq., ed. Lamy) : hic est verus meus sanguis, qui pro vobis omnibus effunditur : accipite, bibite ex eo omnes, quia novum testamentum est in meo sanguine; 6) Syr. Sinait. Matth., XXVI, 27b, 28; 7) Iren., V, 33, 1 : Bibite ex eo omnes : hic est sanguis meus novi testamenti qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum; 8) Pistis Sophia (p. 233, 26, ed. Schwartze et Petermann) : quod hic est sanguis διαθήκης, quem effundent pro vobis ad remissionem vestrorum peccatorum; 9) Aphraates, Homil., XII, 4; etc. Cfr. A. Resch, *Aussercanonische Paralleltexte zu den Evangelien, Texte und Unters,* X, Lt. 2. p. 630 sq.; Fr. Renz, *Oppercharakter der Eucharistie nach der Lehre der Väter und Kirchenschriftsteller der ersten drei Jahrhunderte;* passim, Paderborn, 1892.

(1) Ipse Lutherus tamen, verba : hoc facite in meam commemorationem, ut authentica quidem agnoscit, at mandatum seu praeceptum continere, negat. In suo opere : *De captivitate Babylonica ecclesiae*

confessionis theologos, illud in argumentum respectivae horum doctrinae invocatum esse : illi enim praesentiae realis defensores, tamquam potestatis consecrandi apostolis commissae, causae efficienti innitebantur; illud etiam calviniani tuebantur, animadvertentes festa commemorativa in honorem alicujus personae celebrata — qualia festa, uti putabant, mandatum Christi instituit —, ejusdem absentiam supponere. At ubi dissolvens saeculi XIX critica, christianismum ab ipso Christo removere et in Paulum transferre studuit, traditionis petrinae silentium gaudenter arripuerunt.

Nunc autem non tantum orthodoxiae defensores sed et critici independentes non pauci, varias hujusce silentii explicationes proposuerunt. Censet Haupt (1) per vehementiores noctis, in qua Jesus nocentium manibus traditus est, commotiones, discipulos non omnia et singula Domini verba fideliter servasse, sed eorumdem unumquemque memoriam tenuisse prout poterat : hinc quidam mandati institutionis recordati, illud transmiserint traditioni illi cujus Pauli I Cor. XI et Lucae evangelium documenta constituunt; aliis vero idem ex memoria deciderit et sic in traditione petrina, quae cum his cohaeret, deficeret. Quam explicationem psychologicam C. Weissäcker olim jam proposuisse videtur.

Berning (2) ad litterariam evangeliorum indolem se conferens, duplicem inde explicationem collexit. Juxta priorem, Lucas institutionis mandatum retineret, quia magis in concreto et explicite coenam eucharisticam describit; Marcus vero et Matthaeus, utpote compendiose et solis essentialibus retentis eamdem enarrantes, mandatum de facili omiserint. Juxta posterius explicationis conamen, Marcus et Matthaeus postquam verba Christi eschatologica, quae cum paschatis celebratione historice

praeludium (1520) sic loquitur : « prima ergo captivitas hujus sacramenti est, quod ejus substantiam seu integritatem, quam nobis abstulit Roma tyrannis, non quod peccent in Christum qui una specie utuntur, quum Christus non praeceperit ulla uti, sed arbitrio uniuscujusque reliquit dicens : quotiescumque haec feceritis in mei memoriam facietis ».

(1) *O. c.*, p. 24.

(2) *O. c.*, p. 136 sq.

cohaerent, retulerunt, mandatum institutionis addere congrue haud potuerunt : quapropter, illud omiserint.

Attamen prolatae explicationes sufficientes vix dici possent. Opinioni Haupt, de se maxime improbabili, obstare videtur quod ipsa Pauli traditio, ut supra confecimus, tandem aliquando ex eodem fonte, ex quo et petrina, sit derivata. Acceptabilior quidem apparet sententia Berning : Marcus enim opus quod missionibus et christianismi propagationi adeoque primae proselytharum instructioni inserviret conscribens, copiosiores fontes saepe saepius in compendium retraxit. Atvero institutionis mandatum inter capitalia doctrinae christianae numerandum non esse, vix serio asseri potest. Et ab altera parte, logii eschatologici introductionem quod spectat, nihil certe impediebat quominus Domini mandatum immediate ante dictum logion referrent.

Nonne melius diceretur tempore quo Marcus evangelium suum exaravit, ab omnibus sufficientissime notum fuisse Eucharistiam juxta Christi voluntatem celebrari, ideoque mandatum ab evangelista omitti potuisse tamquam doctrinam quae neminem latebat, quaeque ipsi actus a Christo positi repetitioni quasi inhaerebat? Certum quippe est circa annum 70 Eucharistiae celebrationem ubique fuisse vulgatam : hinc quod ex liturgica anamnesi omnes noverant, illud ut expositu superfluum evangelista omiserit.

Ceterum, quidquid sit de speciali Marci et Matthaei silentii motivo, contra traditionis paulinae veritatem nullum ex petrina traditione argumentum oriri, omnino est certum. Quod ex duabus considerationibus invicte stabiliri censemus : prior huc tendit ut monstretur perennem etiam in narratione Marciana institutionem indigitari; altera, magis offensiva, conaminum quibus adversarii citra Domini mandatum praxis eucharisticae originem inquirunt, inanitatem conficiet (1).

(1) Modus loquendi apostoli I Cor. XI, 23 ἐγὼ γὰρ παρέλαβον ἀπὸ τοῦ Κυρίου ὃ καὶ παρέδωκα ὑμῖν, mandati institutionis authentiam egregium in modum confirmat. Testatur enim se accepisse a traditione quae ad Dominum usque ascendit, doctrinam quam Corinthiis in memoriam revocaturus est, quamque consequenter in sua Corinthi evangelizatione jam exposuerat. Quum autem institutionis praeceptum notabile in apostoli

Ad priorem considerationem quod attinet, duplicem indubie Marcus continet conceptionem hanc, Christi sanguinem in multorum salutem esse effundendum, novi itaque foederis constituere fundamentum religiosum et novorum et insignium beneficiorum hominibus conferendorum fontem, et simul panem et vinum per consecrationem in Christi corpus et sanguinem converti. Prior autem conceptio alteri ab evangelista — ultimae coenae caractere paschali intermediante — sic copulatur ut per communionem sive sacramenti receptionem novi foederis ejusque bonorum participatio obtineatur. Jamvero hujusce oeconomiae expositione institutionis mandatum ipso facto Christo implicite adscribitur. Sicut enim tempore neo-testamentario paschatis manducatio ex Moysis indicto et in foederis sinaitici memoriam et participationem fieri censebatur, ita et Eucharistiae celebratio ex Domini dispositione repeti putabatur. Tradendo itaque coenae eucharisticae narrationem quam tradit, et praxis eucharisticae suo tempore vigentis, originem historicam referre intendens, evangelista institutionis praeceptum a Domino fuisse traditum, implicite docet. Et jure quidem merito : apostoli enim sive communitas primitiva, corporis et sanguinis Christi sacramentum, proprio marte numquam adinvenissent (1).

doctrina momentum sortiatur, sub his quae ex traditione fide digna cognovit et Corinthiis communicavit, comprehendi debet. Ex apostoli ergo testimonio idem mandatum ad communem pertinuisse doctrinam et historica fundari traditione elucet.

(1) Sub respectu subjecti cui Jesus redemptionem impertitur per suam mortem, inter traditionem paulinam et petrinam discrimen, quod supra jam indicavimus, deprehenditur. Dum enim Paulus et Lucas ponunt Domini sacrificium discipulis prodesse ὑπὲρ ὑμῶν, Marcus et Matthaeus sanguinem testamentarium ὑπὲρ πολλῶν effundi asseverant. Ad historicam acribeiam quod spectat, posteriorem traditionem priori anteponendam censemus 1° quia calicis consecrationis formula allusionem continere videtur ad Deutero-Isaiam XLII, 6, XLIX, 8 quibus in locis ebed-Jahveh dicitur *berith-am,* et LII, 12 ubi *multorum* peccata auferre dicitur; 2° quia in se spectata expressio ὑπὲρ ὑμῶν, magis determinata, interpretationis indolem prae se fert; 3° quia Lucas XXII, 20 post formulam, quam a Paulo audierat, verba τὸ ὑπὲρ πολλῶν ἐκχυννόμενον transferens, πολλῶν in ὑμῶν mutasse apparet. — J. Belser, *o. c.*, p. 186 tuetur genuinam formulam sic se habuisse : ὑπὲρ ὑμῶν καὶ πολλῶν : verum suae sententiae criticam rationem nullam subministrat.

Sed ad offensivam jam recurrentes methodum, adversariorum difficultati textuali, realem hanc opponimus gravissimam, impossibilitatem nimirum qua detinentur coenae repetitionem a discipulis factam, citra Domini mandatum explicandi. Ut enim scite observat R. Schaefer (1), negativae adversariorum criticae egregium experimentum sumi potest, positivam quam circa coenae repetitionem, in Ecclesia primitiva factam, explicationem tradunt, examini subjiciendo.

Porro, adversarii petitam explicationem quadruplici via inquisierunt. Primam inivit A. Julicher (2) et post ipsum Grafe (3), statuentes discipulos coenam ad exemplar Domini ex psychologica necessitate denuo celebrasse. At dum Grafe praetensam hanc necessitatem pressius determinare recusat, doctus marburgensis professor mentem suam in hunc modum aperit : rumpendo panem et effundendo vinum, Jesus actu symbolico et quasi abbreviata parabola, mortem suam proxime secuturam expresserat : itaque semel pro semper actum cui valor institutionalis competebat nullus, posuerat. Quum autem discipuli, familiarium instar qui reditum patris desiderant, Christi παρουσίαν, in urbe sancta exspectare statuissent, in omni quam sumebant coena, supremum illud κυριακὸν δεῖπνον et quae in eo gesta fuerant, imprimis vero symbolicam mortis Christi praedictionem sibi in memoriam revocarint. Hinc ipsam ultimam coenam se repetere mox putaverint, et post plures coenae transformationes, institutionis mandatum ipsi Christo tandem adscripserint.

Intricata magis est solutio quam tuetur Brandt (4) : cui si credamus, Jesus panem in ultima coena suis tradens, communitatem qua ipsi discipuli devinciuntur expresserit. Mox Paulus primitivam hanc conceptionem novis ideis ditaverit, et Domini coenam paschati copulaverit : sic institutionalis dignitas in Eucharistiam translata et dein ipsius Christi dispositioni

(1) *O. c.*, p. 261 sq.
(2) *O. c.*, p. 255 sq.
(3) *O. c.*, p. 136 sq.
(4) *O. c.*, p. 294 sq.

adscripta fuerit. Cui opinioni affinis est sententia Spitta (1), qua itidem cum paschatis intrusione, institutio eucharistica cohaerere affirmatur. Ubi apostoli, sic ille, ex Galilaea Jerusalem reduces, coenam paschalem impeditam, die 15ª Ijjar celebraverant, eamdem mox in coenam transtulerint : hinc Eucharistia perennis institutionis caracterem prae se ferre debuit.

Tales autem assertiones, quibus delectari oportet illos qui conclusionibus nostris ex ipsis fontibus haustis adhaerere renuunt, confutationem vix merentur. Sententiae quippe Brandt et Spitta fundamentum, tendentiosam nempe paschatis in coenam intrusionem, jam sufficienter evertimus. Sed hoc etiam omisso, peto sitne possibile discipulos coenam a typo suo historico adeo difformem reddidisse, quum veritatis adhuc essent memores, aut Paulum — cujus sinceritatem nemo suspicari auderet — institutionem undequaque novam introduxisse hisce verbis : ἐγὼ γὰρ παρέλαβον ἀπὸ τοῦ Κυρίου? Ceterum impugnata solutio difficultatem non solvit sed tantum transfert : praetensae enim paschatis in coenam eucharisticam interpolationis quaestio integra manet.

Nec melius se habet sententia Jülicher. Verba enim Domini symbolum non continent, et si continuissent, institutionem eucharisticam undequaque impossibilem reddidissent : quo magis enim sensum symbolicum verborum Christi apostoli intellexissent, eo clarius sacramentum perrenne ipsius ordinationi adscribi non posse animadvertissent. Perperam etiam asseritur discipulos inter se convenisse Hierosolymis cohabitare, quum haec cohabitatio ex ipsius Jesu indicto facta describatur Luc. XXIV, 49, Act. Apost. I, 4. Quodvis itaque conamen recentiorem praxi eucharisticae originem adinveniendi, ut vanum et aprioristicum excludi debet (2).

(1) *O. c.*, p. 228 sq.

(2) Institutioni eucharisticae citra Domini praeceptum explicandae, solutiones a Jülicher, Brandt et Spitta propositas insufficientes esse fatetur ipse Joh. Hoffmann, *o. c.*, p. 94 sq. Verum difficultatem insuperabilem quae ex eo capite thesim rationalisticam premere videtur et ipse removere studet facta inaudita hac hypothesi — quam mox in

* * *

Testamentum itaque a Christo institutum foederi sinaitico, tamquam antetypus typo, indubie correspondet : relationes

thesim adstruit — primitivam communitatem Domini coenam non repetiisse adeoque praxi eucharisticae aliam praeter dispositionem Christi aut imitationem ritus ab ipso positi, quam fecerint discipuli, originem esse adinveniendam. Ipsi si credamus, primitivus fidelium coetus convivia esoterica more Essenorum celebraverit et in finem eschatologicum, exspectandae nimirum parousiae saepius repetierit. Quibus in conviviis sive « religiöse picknicks », apostoli, quos magistri ejusque miri ministerii memoria implebat, Christi humiliationes et passiones ex divina dispositione contigisse, juxta judaïcum determinismum quo positivae Dei voluntati adscribuntur quae ex ipsius permissione evenisse censentur, necnon juxta religiosae psychologiae, quae admirationis objectum deificare nititur, processum, obvie cogitaverint. Hinc Jesum divinae Providentiae morem gessisse et duplici actu eucharistico instantem exitum symbolice expressisse rati fuerint. Quae figurativa prophetia semel intellecta, non retineri et in sensus quibuscum esotericae agapae celebrabantur non influere haud potuit : de facto, consuetudinem in singulis agapis ultimae coenae narrationem, symbolico sensu auditam repetendi inspiraverit. Mox sub influxu speculationum Pauli et quarti evangelii Christo antetypo speciales in Veteri Testamento typos ut ebed-Jahveh adinvenerint utque expiatricem assererent Domini mortem, illam nimirum quam Deutero-Isaïas vaticinatus fuerat, in ore Christi coenantis verba quae hanc conceptionem exprimerent, reposuerint. Ad quod evolutionis stadium, judicio Hoffmann, verba τὸ αἷμά μου... ἐκχυννόμενον ὑπὲρ πολλῶν pertinere dicenda sunt. Ipse tandem Paulus sacramentale realis praesentiae dogma, quod Justinus, Ignatius et alii evolverunt simul cum soteriologia, adinvenerit. Si miretur quis tot ac tantas traditionis historicae retractationes et interpolationes non tantum de consensu sed et cum conspiratione apostolorum id est testium ocularium, quorum bona fides extra dubium reponenda est, factas esse, placide reponit Hoffmann prolatas historiae modificationes ut totidem postulata, quae nova fides necessaria reddiderat, juxta processum in historia religionum solemnem, sine contradictione admissas esse. — Apud simplicem expositi systematis descriptionem sistere possemus, nisi historicam criticam a subjectivis et imaginariis placitis distinguendi necessitas nos urgeret. Porro, imprimis oculos incurrit traditam hypotheseum seriem logice quidem cohaerere, cum interpretatione vero documentorum antiquitatis nihil habere commune. 1) Terminum a quo evolutionis, quam in materia eucharistica locum habuisse Hoffmann sibi effingit, scilicet celebrationem simplicis agapae ex motivo eschatologico et in

quippe quibus Deo homines deviniuntur, per oblatum respective holocausti et sanguinis Christi sacrificium utrobique regulantur. Quapropter sententiae Fr. Spitta et O. Holtzmann ut erroneae statim exploduntur : priori enim, quod manifestam inter duo foedera connexionem intercedentem immerito solvat, exprobrandum est; posterioris error, quod adaequati parallelismi inducendi gratia, de calicis effusione loqui attentet.

Utramque sententiam pressius consideremus oportet. A theoria quam Spitta, poetica ferme phantasia et cum manifesto eruditionis abusu concinnavit, exordium sumanus. Contra eamdem sequentia praejudicia proferimus : 1° posito ultimam Domini coenam fuisse etiam paschalem, aut in eadem novi testamenti in remissionem peccatorum stabiliti institutionem proclamatam esse, aut tandem eidem caracterem sacrificalem competere,

finem eschatologicum habitam, attestatum reperit Act. Apost., II, 46. Jam autem in hoc documento judaeo-christiano unice asseritur communitatis hierosolymitarae fideles, ad communem mensam discubuisse eorumque divitias, communismo quodam religioso, in omnium utilitatem positas fuisse : de Essenorum influxu ne verbulum quidem occurrit, nec est cur quis ad hanc sectam, quacum Christus nulla relatione devincitur, recurrat, agaparum originem explicaturus. Imo si Apostolorum Acta, ad quae auctor noster recurrit, attente quis legat, in antiquissimis hujus libri documentis coenam celebrari sacramentalem aut saltem numquam ut figurativam mortis Domini praedictionem exhiberi, non aegre perspiciet. Exemplo ponamus famosam « Wirquelle » : XXVII, 33 sq. gentium apostolus, per noctem quae ipsius in Maltam adventum praecessit, secum navigantes solatur et ut cibum sumant hortatur. Quo exposito hagiographus sic pergit v. 35 καὶ λαβὼν ἄρτον εὐχαρίστησεν τῷ θεῷ ἐνώπιον πάντων καὶ κλάσας ἤρξατο ἐσθίειν. Eschatologica aut symbolica Eucharistiae, interpretatio deficit quaevis; quod et de Act. Apost., XX, 11. qui locus probabilius etiam ad « Wirquelle » pertinet dictum sonet. Ceterum, hypothesi nulla opus est, ubi evangelistae communi consensu Eucharistiae celebrationem Christi mandato adscribunt, nisi haec attestatio erronea demonstretur quod non obtinet. Cfr. P. Feine, *Jesus-Christus und Paulus*, p. 233. Leipzig, 1902. 2) Christianos, ut novam suam fidem Christi auctoritate communirent, logia et sermones Christi interpolare solitos fuisse, non debet quidem supponi sed demonstrari : porro in quaestione relationis Christum inter et ebed-Jahveh intercedentis, non tantum demonstratio posterioris interpolationis desideratur, sed textuum genuinitatem, quantum satis, firmavimus.

interpretatio Spitta undequaque impossibilis redditur : descripti enim caracteres cum hypothesi, Christi attentionem integram regni eschatologici prospectu absorptam fuisse, consistere nequeunt : jamvero ultimam coenam descriptis caracteribus revera obsignari, quantum satis confecimus. 2° Invincibili impossibilitate detinetur Spitta repetitionis coenae ab apostolis factae, rationem reddendi, aut explicandi quomodo Paulus in eucharisticis communitatis corinthiacae conviviis, mortis Domini memoriale celebrari et ipsum Christum a fidelibus ut spiritualem cibum recipi docere potuerit, et quidem cum protestatione se doctrinam, quae ad ipsum Christum ascendit, denuo proponere : ἐγὼ γὰρ παρέλαβον ἀπὸ τοῦ Κυρίου. Ex duobus his capitibus theoriam Spitta exclusam censemus. Eamdem tamen 3° magis intime considerare et dissecare operae pretium videtur. Et primo quidem, criticam textualem, ipsi nequaquam favere, rem vel obiter consideranti, oculos incurrit. Vocem ἐκχέειν calicis impletionem hic denotare, nonnisi erronee sustineri potest : dicta vox de se effusionem notat, et in expressione ποτήριον sive αἷμά (μου) ἐκχυννόμενον ὑπὲρ πολλῶν technicum effusionis sacrificalis terminum constituit. Perperam etiam explicatur in impugnata sententia vocis πάντες quam habet Matthaeus XXVI, 27 in invitatione Christi praesentia, ex universalismo vocationis ad convivium eschatologicum, apud prophetas obviae. Matthaeum enim hic magis ac Marcum historicum esse, ad minus dubium est : quum enim generatim a Marco (vel a documento Marco simillimo) dependeat, nec in ipsius coenae eucharisticae narratione alio praeter Marcum fonte usus videatur, verisimilius consequitur et a P. Wernle (1) ex professo propugnatur, ipsum symetriae inter utrumque coenae eucharisticae actum procurandae gratia, omnium discipulorum calici participationem, quam Marcus ut factum refert, invitationi Domini adscripsisse. Ceterum invitationem, si adesse credatur, ad calicem hic et nunc a discipulis bibendum referri, dictu vix opus est : ad talem autem invitationem, omnium populorum ad convivium eschatologicum vocatio inepte adhiberetur. Quid autem vox

(1) *Die Synoptische Frage*, a. h. l.

πάντες sibi velit positive declarare, non est obvium. Qui quintum calicem paschalem a Domino consecratum esse propugnant, usum vocis inde explicant quod tempore neo-testamentario, ex quinto calice bibere penes uniuscujusque arbitrium fuerit : quapropter, ut omnes apostoli haustum ex eo sumerent, a Christo invitandi erant, aut saltem fuit ratio cur evangelista omnium participationem referret. Verum, quintum calicem a Jesu in sanguinem suum esse conversum, aut generalius, tempore neo-testamentario quintum calicem ad rituale paschale pertinuisse demonstrari nequit. Meliori forsan jure dixeris calices nonnisi quatuor fuisse in ultima coena, more pauperum celebrata, ita ut singuli proprios calices non haberent convivae, sed ex iisdem omnes bibere deberent. Pascha enim, praesertim apud pauperes tali modo haud raro celebratum esse, constat : hinc Marcus dixerit omnes discipulos ex calice eucharistico haustum sumpsisse, quod revera factum est. Ad ceremoniale paschatis itaque, hic denuo remittimur.

Attamen utriusque testamenti parallelismus ritualis ultra debitum et cum veritatis et verisimilitudinis detrimento urgendus non est : quod contra sententiam O. Holtzmann explanandum manet. Effusionem quippe calicis in terram quam Christo sicut et Moysi adscribit, subtilius quam solidius adstruxit. Imprimis argumentum ex tenore narrationis Lucae XXII, 20 ab ipso deductum, statim ut ineptum exploditur. Vox enim ἐκχυννόμενον, etsi grammaticaliter ad ποτήριον referatur, logice tamen cum vocabulo αἵματί cohaeret : quam connexionem, tum formula parallela circa corpus σῶμα ὑπὲρ ὑμῶν διδόμενον — post corporis mentionem, sanguinis, ut praecipui secundi actus eucharistici objecti, mentio exspectatur : sicut corpus datur, ita sanguis effunditur —, tum aliorum hagiographorum textus, certum faciunt. Dempta enim additione τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυννόμενον, calix eucharisticus eadem formula apud Paulum ac apud Lucam consecratus deprehenditur. Tertio autem evangelistae mortis Christi valorem soteriologicum exprimere, magis ac Paulo curae fuerit : hinc verba ceteroquin genuina secundi evangelistae XIV, 24 τὸ ἐκχυννόμενον ὑπὲρ πολλῶν (ὑμῶν) in suam narrationem quasi mechanice transtulerit.

Reponit quidem O. Holtzmann loco vocabuli ὡσαύτως, quod in hodierno Pauli textu I Cor. XI, 25 legitur, primitus ἐξέχεεν conscriptum fuisse. At talem assertionem non vocare absonam non possumus : ex indubie authentica quippe assertione, quae immediate sequitur v. 26 : quotiescumque enim manducabitis panem hunc et calicem bibetis... luce meridiana clarius elucet, juxta mentem apostoli, calicem eucharisticum discipulis bibendum traditum esse : si autem bibendus, quomodo effundi poterat? Et aeque labilis demonstratur ejusdem exegetae assertio, Marcum et Matthaeum effundendi calicis consuetudinem ideo supponere, quod de sanguinis testamentarii effusione loquantur. Nam ideo praecise quod calicis contentum testamentarium sanguinem esse asseverent, caracterem ejusdem sacrificalem indigitant : hinc sive vox ἐκχυννόμενον mysticam sanguinis in calice contenti effusionem praemonstret, sive, ut nos opinamur, eadem effusionem in cruce sanguinis quem Jesus hic et nunc in calice contentum proclamat denotet, nulla ratione effusionem in terram contentis calicis praemonstrare potest. Adde tandem contentum calicis, juxta traditionis petrinae documenta sicut et juxta Paulum, a discipulis sumptum esse!

*
* *

Christum pridie suae mortis, sacrificio a se mox offerendo valorem soteriologicum adscripsisse, et ritum quem ad perennis institutionis dignitatem elevavit fundasse, extra dubium posuimus. Talia autem facta novum foedus religiosum a Deo cum hominibus iniri, manifeste supponunt. Hinc considerationes hisce quinque ultimis annis a Wrede, J. Weiss, G. Hollmann et K. G. Goetz contra authentiam expressionis τὸ αἷμά μου τῆς διαθήκης in medium adductae, omni verisimilitudine destitutae apparent. Imprimis quidem animadversum velim dictam expressionem habere quidem, ob praesentiam duplicis genetivi ab eodem substantivo dependentis, grammaticalem quamdam duritiem, ita tamen ut talis constructionis exempla penitus non deficiant (1). Ita I Cor. IX, 2 legitur ἡ σφραγίς μου τῆς ἀποστο-

(1) Cfr. O. Holtzmann, *o. c.*, p. 102.

λικῆς; I Pet. I, 7 τὸ δοκίμιον ὑμῶν τῆς πίστεως habetur, quae expressio Jac. I, 3 denuo occurrit. Insuper Christus non graece sed aramaice locutus est : quapropter serium contra realem locutionis impugnatae genuinitatem argumentum, ex tenore graeco desumi nequit. Ab altera parte, etsi cum certitudine omnimoda determinari nequeat, qualiter formula super calicem a Christo prolata se habuerit, attamen ex ejusdem cum formula consecrationis panis, simul et cum verbis Moysis foedus sinaiticum institutum declarantis parallelismo, necnon ex facto, quod in duplici traditione, saltem immediate ab invicem independente, eadem elementa realia, etsi diversa sub forma reperiantur, Christum sanguinem suum calicis contentum et novi testamenti fundamentum proclamasse, moraliter certum est. Quam proclamationem per reduplicationem vocis αἷμα, hunc in modum τοῦτό ἐστιν τὸ αἷμά μου, τὸ αἷμα τῆς διαθήκης factam esse, non negamus et ad inquisitionem nostram impertinens est.

Reponunt quidem adversarii ob duorum coenae eucharisticae actuum parallelismum, post verba τοῦτό ἐστιν τὸ σῶμά μου super panem prolata, unice formulam τοῦτό ἐστιν τὸ αἷμά μου super calicem proferendam exspectari. At pessima certe est methodus qua sub praetextu perfectae symetriae procurandae, textus obtruncantur ut quod omittunt dicant et quod habent taceant. Christus enim coenam instituens, non elegantiae litterariae observandae sed fundamentalis sui ministerii operis perficiendi praeoccupatione ductus est. Porro, quum testamentum, crucis sacrificio innixum institutum declarare vellet, huic declarationi, obvius non in primo coenae eucharisticae actu sed in secundo locus fuit. Et quidem, ex duplici motivo : primo, quia in litterario, ad quem Dominus respexit fonte, scilicet Exod. XXIV, 8, testamenti institutio cum sanguine cohaerere dicitur; secundo, quia sacrificium, cujus intuitu Deus novas cum hominibus relationes inire dicitur, complete nonnisi per sanguinis effusi indicationem exprimitur. Testamenti itaque mentio, ut prostat, congrue facta est.

* * *

Consecrationis itaque formulae, quae dicuntur, antiquissimam

et historicam traditionem reproducunt, et mortis Domini valorem soteriologicum duplici ratione exhibent : dicendo τοῦτό μου ἐστὶν τὸ σῶμα, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν, Jesus in memoriam revocat, quod ex ipsius ore supra jam audivimus, se nimirum animam in multorum redemptionem daturum; deinde et praecipue, dicendo τοῦτό ἐστιν τὸ αἷμά μου τῆς διαθήκης, se exhibet tamquam foedus populi seu berith-am ab Isaia et Jeremia praedictum, id est tamquam sacrificium cujus intuitu Deus cum genere humano novas relationes init, illas nempe quas ipse Dominis patefecerat, Deum omnium hominum etiam peccatorum patrem proclamando (1).

(1) Inanes sunt conatus, quibus A. SABATIER, *La doctrine de l'expiation et son évolution historique*, p. 23 sq. et H. WENDT, *Die Lehre Jesu*, p. 502 sq. sensum soteriologicum verborum Christi enervare student. « Christum, ait A. Sabatier, proferendo verba τοῦτό ἐστιν τὸ αἷμά μου τῆς διαθήκης, ad Exod. XXIV, 8, in quo loco eadem expressio « dam-haberith » obvia occurrit, respexisse, manifestum est. Porro sanguini testamentario, non peccata expiandi sed foedus confirmandi munus competit. Quum ipse Deus populo foedus elargiatur, sacrificium nonnisi in gratiarum actionem offerri potest. Nunc autem regnum Dei adventurum tamquam novum foedus Deum inter et populum stabiliendum, a prophetis praedictum fuerat. Quid mirum itaque si Christus moriturus, ut victimam, cujus oblatione foedus illud ratihabitum proclamaretur, se exhibuit? » Via paululum diversa processit H. Wendt. Ratus Christum, qui peccatorum remissionem a benigna Dei misericordia per poenitentiam obtinendam praedicaverat, locutionem εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν, quam habet Matth. XXVI, 28 proferre, aut mortem suam ut pretium redemptionis considerare non potuisse, consecrationis formulis nonnisi generaliorem sensum competere, asseverat : Dominus praedixerit quidem intuitu mortis suae copiosas benedictiones et gratias christianae communitati a Deo concedendas esse : qua vero ratione hae in morte radicentur, non aperuerit. Quibus respondemus : 1° Christi corpus datur pro multis ὑπὲρ πολλῶν; sanguis ipsius est sanguis testamenti pro multis effusus : morti itaque Domini, quod et supra confecimus, sacrificalis caracter competit : sed sacrificium ὑπὲρ πολλῶν oblatum, non est sacrificium in gratiarum actionis tantum, sed expiatorium et propitiatorium; uno verbo, sacrificium quod gratias producit vel meretur. A pari sanguis testamentarius *pro multis effusus*, novam oeconomiam non tantum firmat sed stabilit. 2° Christus ad Exod. XXIV, 8 et Jerem. XXXI, 31 sq., fatentibus adversariis respexit; imo teste H. J. HOLTZMANN, *O. c.*, p. 302, verba ὑπὲρ πολλῶν allusionem ad Isaiae LIII, 11-12

Genuinus itaque coenae eucharisticae sensus, cujus varia momenta in antecedentibus determinavimus, hunc in modum restitui debet. Suos derelicturus Dominus coenam paschalem ideo per anticipationem celebravit, ut institutionem, quae paschati judaico succederet, fundaret : sicut pascha celebrabatur in memoriam liberationis Israelis ex servitute Aegypti et pacti in sinai foederis, sic nova a Christo fundata institutio maximi quod historia supernaturalis cognoscat beneficii, mortis sacrificalis Messiae, qua a peccati servitute genus humanum redimitur, memoriam celebrare intendit : ita quippe fieri disposuit Dominus dicendo : hoc facite in meam commemorationem. Soteriologia ergo juridica, quam evolvit s. Paulus, ab ipso Jesu proclamata est.

continere videntur. Porro propheta peccatorum remissionem, novi foederis membris promissam, in vicaria morte ebed-Jahveh innixam praemonstraverat. 3° Tandem textus eucharistici juxta Marc. X, 45 = Matth. XX, 28 sunt explicandi.

CONCLUSIO GENERALIS.

Saeculo proxime elapso et multo magis per prius saeculi nostri quinquennium de christianismi essentia inter exegetas plurimum disputatum est : A. Harnack, cujus vestigiis plures inhaerent, benignam Dei erga peccatores paternitatem, Joh. Weiss et A. Loisy regnum Dei eschatologicum, quod in Ecclesiae constitutione post Christi mortem realizationem suam acceperit, tamquam essentialem Domini doctrinam et quasi soteriologicum programma assignarunt. Contra quos, sacrificalem et testamentarium passionis et mortis Messiae valorem esse fundamentale et ab ipso Jesu declaratum christianismi dogma, propugnamus. Certe non infitiamur christianam religionem, in mente sui Fundatoris, pluribus constare elementis constitutivis, et inter haec benignam Dei erga homines benevolentiam, necnon religiosum Ecclesiae regimen, prout bonorum supernaturalium dispensationem fidelibus procurat, merito computari. Verum quaestio est utrum christianae doctrinae, prout saeculorum decursu se evolvit, logicum et ontologicum fundamentum in expiatrice Domini morte sit collocandum, et quatenus affirmative, utrum centralis illius doctrinae proclamatio ipsi Christo sit vindicanda. Porro, de priori quaestione posita, dubium serio moveri nequit. Quum enim christiana fides primitivas Dei cum hominibus relationes, per Adae peccatum perditas, intuitu sacrificii Jesu restitutas credat, quum Ecclesia ejusque sacramenta, tamquam salvificae Christi actionis instrumenta, ex meritis mortis ipsius vim suam hauriant, quum christologicum et trinitarium dogmata, cum relatione ad modum, quo generis humani re-

demptio completa est, se evolverint; uno verbo, quum doctrinarum, quibus christiani intellectus dirigitur et auxiliorum quibus voluntas ipsius roboratur, complexus, crucis sacrificio innitatur, esse soteriologiam christianismi historici fundamentum, indubium est. Alteri quaestioni respondentes, plures exegetae sive s. Paulum, sive primitivam communitatem tamquam soteriologiae stricte dictae auctorem exhibent, ex quibus nonnulli, ipsius christianismi fundationem consequenter a Christo abjudicant. Qui talibus systematibus delectantur, habeant sibi; criticae biblicae nomine vero illa immerito gloriantur. Argumenta quippe muniuntur et fulciuntur sincera mente exposuimus, et critica methodo inania esse confecimus, monstrantes illud quod de Messia prophetae vaticinati erant munus soteriologicum, a Christo, ab initio activitatis suae publicae assumptum esse et in Calvariae monte perfectum.

UNIVERSITAS CATHOLICA LOVANIENSIS.

Dissertationes ad gradum Doctoris in facultate theologica consequendum.

SERIES PRIOR.

1. A. Kempeneers. De Romani Pontificis primatu ejusque attributis, 1841.
2. H. J. Feye. De matrimoniis mixtis, 1847.
3. C. De Blieck. De unitate Ecclesiae catholicae, 1847.
4. V. A. Houwen. De parochorum statu, 1848.
5. N. J. Laforet. De methodo theologiae sive de auctoritate Ecclesiae catholicae tamquam regula fidei christianae, 1849.
6. Ph. Van den Broeck. De theophaniis sub Vetere Testamento, 1851.
7. A. Heuser. De potestate statuendi impedimenta dirimentia pro fidelium matrimoniis soli Ecclesiae propria, 1851.
8. F. J. Jadot. Patrum antenicaenorum de Verbi consubstantialitate doctrina, 1857.
9. Th. J. Lamy. De Syrorum fide et disciplina in re eucharistica; accedunt veteris ecclesiae syriacae monumenta duo : Joannis Telensis resolutiones nunc primum editae et latine redditae; Jacobi Edesseni resolutiones canonicae syriace cum versione latina, 1859.
10. A. J. Liagre. Interpretatio epistolae catholicae S. Jacobi, 1860.
11. A. C. M. Van Gameren. De oratoriis publicis et privatis, 1861.
12. E. H. J. Reusens. Syntagma doctrinae catholicae Adriani VI, Pont. Max. 1862.
13. F. J. Moulart. De sepultura et coemeteriis, 1862.
14. L. Henry. De residentia beneficiatorum, 1863.
15. C. M. De Robiano. De jure Ecclesiae in universitates studiorum, 1864.
16. A. J. J. Haine. De hyperdulia ejusque fundamento, 1864.
17. A. B. Van der Moeren. De processione Spiritus sancti ex Patre Filioque, 1865.
18. F. J. Demaret. De origine Evangeliorum deque eorum auctoritate historica, 1865.
19. A. B. Abbeloos. De vita et scriptis sancti Jacobi, Batnarum Sarugi in Mesopotamia episcopi, 1867.
20. A. Van Weddingen. De miraculo deque ejus in christiana demonstratione usu et valore, 1869.
21. J. L. J. Liagre. De hominis exaltatione ad ordinem supernaturalem, 1871.

22. H. J. L. HERMES. De capitulo sede vacante vel impedita et de vicario capitulari, 1873.
23. B. T. POUAN. De seminario clericorum, 1874.
24. H. C. C. LAMBRECHT. De sanctissimo Missae sacrificio, 1875.
25. A. MULLER. De placito regio, 1877.
26. J. THYS. De peccato originali, 1877.
27. M. B. G. FINK. De concordatis, 1879.
28. H. J. T. DE BROUWER. De fide divina, 1880.
29. G. J. WAFFELAERT. De dubio solvendo in re morali, 1880.
30. L. J. LESQUOY. De regimine ecclesiastico juxta Patrum apostolicorum doctrinam, 1881.
31. J. FORGET. De vita et scriptis Aphraatis, sapientis Persae, 1882.
32. J. E. HIZETTE. Definitionis vaticanae de infallibili romani Pontificis magisterio commentarium theologicum, 1883.
33. P. MANNENS. Disquisitio in doctrinam S. Thomae de voluntate salvifica et praedestinatione, 1883.
34. C. LUCAS. De naturali nostra cognitione Dei, 1883.
35. O. F. CAMBIER. De divina institutione confessionis sacramentalis, 1884.
36. F. C. CEULEMANS. De parvulis qui sine baptismo moriuntur, 1886.
37. G. J. CRETS. De divina Bibliorum inspiratione, 1886.
38. A. VAN HOONACKER. De rerum creatione ex nihilo, 1886.
39. A. HEBBELYNCK. De auctoritate historica libri Danielis, necnon de interpretatione vaticinii LXX hebdomadum, 1887.
40. J. BAUDUIN. De consuetudine in jure ecclesiastico, 1888.
41. M. LECLER. De romano sancti Petri episcopatu, 1888.
42. L. J. MIERTS. De resurrectione corporum, 1890.
43. A. AUGER. De doctrina et meritis Joannis van Ruysbroeck, 1892.
44. J. B. CHABOT. De sancti Isaaci Ninivitae vita, scriptis et doctrina, 1892.
45. C. SCHEYS. De jure ecclesiae acquirendi et possidendi bona temporalia, 1892.
46. A. KNOCH. De libertate in societate civili, 1895.
47. H. POELS. De historia sanctuarii arcae fœderis, 1897.
48. P. LADEUZE. Etude sur le cénobitisme pakhomien pendant le quatrième siècle et la première moitié du cinquième, 1898.
49. A. CAMERLYNCK. De quarti evangelii auctore, 1899.
50. A. MICHIELS. L'origine de l'épiscopat, 1900.
51. A. VAN HOVE. Etude sur les conflits de juridiction dans le diocèse de Liége sous Erard de la Marck, 1900.
52. G. VOISIN. L'Apollinarisme, 1901.
53. H. COPPIETERS. De historia textus Actorum Apostolorum, 1902.
54. E. VAN ROEY. De justo auctario ex contractu crediti, 1903.
55. F. CLAEYS-BOUUAERT. De canonica cleri saecularis obedientia, 1904.

SERIES SECUNDA.

1. C. VAN CROMBRUGGHE. De soteriologiae christianae primis fontibus, 1905.

Crombrugghe, C. van - De Soteriologiae
Christianae ...